

Inst. F. COURBY

Cote 6792/T.P.

UER

QUAESTIONES NAXIAE.

SCRIPSIT

DR. GUILIELMUS ENGEL,

MEGALOPOLITANUS,

SEMINAR. REG. PHILOL. NUPER SODALIS.



"Ἡμαρτον ἢ θηροῦ τι τοξότης τις ὄς.

AESCH. AGAM.

GOTTINGAE,
TYPIS DIETERICHIANIS.

MDCCCXXXV.

Bibliothèque Maison de l'Orient



154600

VIRO CELEBERRIMO

EDUARDO BONNELLIO

PROFESSORI BEROLINENSI

PRAECEPTORI PIE COLENDO

SACRAVIT

HUNCCE LIBELLUM

AUCTOR.

VIR CELEBERRIME.

Ex quo per triennium in Academiis Rostochiensis et Gottingensi in studia quae vocant academica incubui, fama mei credo fere nulla ad Te, Vir egregie, pervenit; atque hic quidem libellus simul primas affert litteras. Noli vero mirari quid sit quod me commoverit, ut his litterarum primitiis, Te fortasse invito, quippe a quo veniam ne expetiverim quidem, nomen Tuum inscriberem. Olim enim Te non latuisse arbitror, quam insigni Te coluerim pietate, quum in Gymnasio Berolinensi scholis Tuis interesssem et Tu quae est humanitas Tua et benevolentia erga omnes qui ad Te accedunt, tristem et perturbatum animum meum non calumniatus, perquam comiter atque humane acciperes. Quibus gratias Tibi referam non habeo, et multum abest ut mihi persuadeam, me nomen Tuum, qui me multo major es, quodammodo illustrare posse. Sed Tuus est hic libellus atque fuit ante originem ipsam. Tu enim litterarum antiquarum amore me imbuisti et animum ad altiora studia excitasti. Qua de re Tua imago, Vir humanissime, in animo meo gratissimo saepe resurgit et reviviscet in aeternum. Me sane quidem tempus valde permutavit, minime autem

gratum meum animum. Tu vero etiam talis reperieris spero, qui de hoc meo libello iudicet elementissime, praesertim si, quod velim, memor sis me iniquissima valetudine, quae jam prius plures mihi annos perdiderit, triennii mei dimidii fere fecisse jacturam. Propositum autem mihi erat, quae ad Naxum insulam pertinent singulari libro complecti, quo consilio multa adeo jam collegeram. Quod vero quominus perficerem impeditus sum necessitate mihi imposita hanc urbem, in qua hoc tempore versor, brevi relinquendi. Dedi igitur quae jam elaborata erant. Quum vero in eam urbem ubi multos annos degebam rediero et Te adeundi mihi dabitur opportunitas, spero fore ut e Tua consuetudine multos decerpam fructus. Valeas et me amare pergas.

Dab. Gottingae, mense Apr. 1853.

GUILELMUS ENGEL.

QUAESTIONES NAXIAE.

ARGUMENTUM.

I.

DE REBUS INSULAE ANTIQUISSIMIS.

§. 1.

De nominibus insulae Naxi.

§. 2.

De Pelasgis.

Quos antiquissimis temporibus sibi commoratos esse probabile redditur.

§. 3.

De Phoenicibus et Caribus. Minois thalassocratia.

Certa est commoratio Carum et Lelegum in insula; Phoenicibus portus tantum erant. Carum thalassocratiam Minos Cretae rex fregit. Mari pacato navigatio efflorescere potuit. Post Trojam captam, viribus reffectis Cares mare denuo infestabant.

§. 4.

De Carum et Lelegum patria ac stirpe.

Additur quaestiuncula utrum Cyclades Carum patria fuerint neene, num Barbari an Graeci, quaeque ratio inter Cares et Leleges intercedat.

II.

RES MYTHICAE INSULAE NAXI.

§. 1.

De cultu Dionysi in insulam Naxum translato.

Thraces e Pieria cultum Dionysi Naxum transferebant.

§. 2.

De Lycurgo et Bute.

Deum *μαινόμενον* ejusque nutrices invadit Lycurgus Thracum rex. Fugientem deum recipit Thetis. Lycurgo moriendum est. Butes frater ejus, patriam relinquere coactus, cum Thracibus *Strongylen* navigat. Mulieribus carentes in Thessaliam profecti, invadunt nymphas. Iphimedia et Coronide arreptis, renavigant Bute mortuo. Idem hic mythus est atque Lycurgi.

§. 3.

Interpretatio hujus mythi et sacra Trieterica.

Spectat mythus sacra Trieterica. Habemus *Dionysum puerum*, *λικνίτην*, *Dionysum laceratum*, *τὸ Διονύσου πάθη*, *Dionysum sub tauri forma*, h. e. significatione mystica. Idem mythus ad Tenedios et Lesbios pervenit.

§. 4.

Mythus de Bute vindicatur insulae Naxo.

Fabula Butis nata est post Lycurgum et valebat verisimiliter Naxiis idem quod Thracibus mythus Lycurgi i. e. mythus qui ansam praebuit Trietericis. Itaque Trieterica nec non Agrionia in Naxo insula esse celebrata concludimus.

§. 5.

De Pancreatide.

Naxii Butis loco Agassemeno regi creato Panera-

tidem in matrimonium dant. Haec sicut Iphimedia sunt heroinae Naxiae. Iphimedia celebrabatur apud Mylassenses in Caria.

§. 6.

De Aloidis.

Aloidae revera cultum Dionysiacum in insula Naxo instituebant, quod Diodorus narrat modo historico. Inest in iis *natura Dionysiaca et Cerealis*. Inscriptio in Naxo reperta. Vinciunt Martem atque obeunt in insula.

§. 7.

Ortus Dionysi in insula Naxo.

Narrant Naxii Dionysum infantem octo mensium non Jovis lumbo insutum sed ad se ipsos allatum ibique a nymphis nutritum esse. Posteriore vero tempore vindicabant sibi etiam ortum dei duplicem.

§. 8.

De nymphis Dionysiicis.

Nutrices Dionysi varia nomina habent, ut Baccharum sive Maenadum atque Hyiadum et Pleiadum quae in numerum stellarum receptae sunt.

§. 9.

Antra Bacchica.

Prae ceteris nobilitatum est Bacchicum antrum in insula Naxo, quod habebat *δύο θύρα*. Secuntur quae exinde ficta sunt.

§. 10.

De Pholo atque amicitia Dionysi et Vulcani.

Adjudicat Pholus centaurus Dionyso insulam Naxum. — Vulcanus confecit Dionyso amphoram, quam ille reddidit Thetidi. Vulcanus alio etiam modo conjunctus cum Naxo.

§. 11.

De Tyrrenis et Dionyso.

Notissima est Naxii populi fabella de Tyrrenis et Dionyso, qui illos in delphinos mutaverit. Complures existunt narrationes de his; exponuntur Hygini et hymni Homerici. Ab artificibus etiam haec res repraesentabatur. — Variis modis conjuncti sunt delphini cum insula Naxo. — Delphino-homines. Quid sibi velit mutatio hominum in delphinos et quid Dionysi in leonem?

§. 12.

De Dionyso et Ariadna.

Thesei iter in insulam Naxum susceptum et Ariadne relicta.

Res historicae expediendae sunt. — Quod narant de Theseo fabulam sapit, quae conjunctionem Atheniensium et Naxiorum in rebus ad cultum pertinentibus more historico explicet. — Variarum narrationes de Theseo.

Theseus Athenis sacra instituit; qualiacunque haec fuerint.

Athenienses conferebant in Theseum quae cursu temporum sunt facta. Jam antiquissimis temporibus conjunctionem Atheniensium et Naxiorum locum habuisse, patet. Instituit Theseus Oschophoria aliaque Dionysiaca neq̄ non Cerealia.

Cultus Dionysi mystici in insula Naxo demonstrandus est.

Repetuntur et junguntur indicia in prioribus declarata. Additur, quid ex choro Sophocleo sequatur.

[Ariadna conjux Dionysi est Proserpina.

Dea Cretensis solo conjugio Dionysi in Proserpinam permutari nequit. Ostenditur cur Ariadna ex cultu Dionysiaco intelligenda sit. — Cultus Ariadnae habet secum conjunctum aliquid Asiatici cultus. —

— Explicatio nominum 'Αριάδνας et 'Αριδήλας.
Plane sejungenda est dea Naxia a dea Cretensi.
— Quomodo fortasse deducta a Theseo Ariadna interpretanda sit.

Narrationes aliae de Ariadna.

Ariadna a Theseo defertur in insulam Cyprum,
ibi mortua colitur tanquam Ariadna-Venus.

De duabus Ariadnis Naxiorum.

Naxii narrabant exstitisse Ariadnas duas. Natu
majorem esse nativam et Dionysi conjugem, mino-
rem a Theseo e Creta deductam. Quomodo hae ex-
plicandae sint.

Solemnia Naxiorum.

Multum asserunt solemnia ad cognoscendam Pro-
serpinam in Ariadna. Dionysiacorum sacrorum ambo
genera praecipua lineamentis adumbrata sunt. The-
smophoria et Anthesteria. — Oschophoria describun-
tur. De aliis sacris.

Res quae ad connubium Dionysi et Ariadnae pertinent.

Hesiodus primus novit Ariadnam tanquam Minois
filiam. — Glaucus daemon maritimus. — Nympha
Psalacantha. — Venus, amoris dea, maerentem
Ariadnam ad Dionysum adducit. — Corona et sidus
Ariadnae. —

Dionysiaci cultus vestigia vera atque falsa in in-
sula Creta.

QUAESTIONES NAXIAE.

I. DE REBUS INSULAE ANTIQUISSIMIS.

§. 1.

De nominibus Naxi insulae.

Naxum insulam propter rotundam figuram antiquissimis temporibus *Strongylen* nominatam fuisse, Diodorus ¹⁾ tradit. *Dia*, quo nomine postea insignita erat insula, et quo etiam a poetis serioris aetatis appellabatur, vocata esse videtur, ex quo tempore cultus Bacchi eo pervenerat, sive utpote sedes dei primaria eique tota consecrata, sive propter singularem fertilitatem, jucunditatem, amoenitatemque. Utcunque res est, nomen *Diae* inter omnes vulgatum erat. Minus tamen usitatum nomen *Dionysios* apud paucissimos et poetico magis quam proprio usu adhibitum legitur. Similis est ratio nominum *Calliopidis* et *Siciliae minoris*, quae nomina apud Plinium l. l. et Agathemerum ²⁾ reperimus qui

1) Diod. Sic. 5, 50. init. Parthen. erot. 19. Pli., Nat. Histor. 4, 12.

2) Agathemerus 1, 5.

dicit: τῶν Κυκλάδων κρατίστη ἐστὶ ἡ Νάξος, διὸ μικρὰ λέγεται Σικελία. Calliopidis nomen quid sibi velit, manifestum est. Quod tamen nomen historicum attinet, morem saepe observatum etiam hic reperimus, ex quo populorum et terrarum et urbium nomina a claro quodam duce sive heroe deducuntur. Narrant enim a Care quodam, cui nomen Naxi fuerit, cujus adeo patrem Polemonem commemorat Diodorus ¹⁾ hanc insulam occupatam, eamque pro *Dia* appellatam esse *Naxum*. Stephanus Byzantius eandem refert narrationem: complures autem scriptores addit, nomen illud repetiisse a Naxo Eudymionis cujusdam filio, poetam vero Euphorionem accessisse opinioni ei, qua non a duce aliquo, sed a verbo *νάξαι* i. e. *complere, cumulare*, quia insula sacris egregiis abundaret ²⁾, nominis origo esset derivanda. Radolphus Rochettius ³⁾ cum nomen insulae a Crentensi urbe Naxo deducit, nomen transfert, non explicat. Id potius conjicere debemus, hujus rei esse similem ac Sicularum Naxiorum rationem i. e. nomen a colonis quibusdam illuc esse translatum. Inter recentiores Schwenk ⁴⁾ nomen deduxit a verbo *Νάσσοσ* pro *νησσοσ*, demonstrans duplex hoc *σ* in *Νέσσοσ* a *νέω*. Antiquissimis temporibus insulam *διαν νῆσον* nominatam fuisse suspicatur, donec ex hac denominatione nomina facta essent duo diversa. Quam quidem etymologiam ex *νάσσοσ* probans, Naxum omnium Cycladum maximam et nisi omnibus temporibus, certe antiquissimis gravissimam sensu proprio vocatam esse *νησον insulam*, arbitror.

1) Diod. Sic. 5, 51.

2) Idem dicit Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 526.

3) Histoire de l'établiss. des col. Gr. 2, 154

4) Schwenk. Etymol. mythol. Audent. p. 157.

§. 2.

De Pelasgis.

Refert de migrationibus populorum et Graecorum et Barbarorum, longius quidem excurrere, sed haec tantum, quatenus ad Cyclades et praecipue Naxum pertinent neque ulterius quam permittere videntur fines commentationis nostrae. Ab aliis populis omnibus hoc loco recedentes, ex stirpe Graeca *Pelasgos* et *Leleges*, ex stirpe barbara *Cares* et *Phoenices* consideraturi sumus.

Sed num Pelasgi ipsi in his insulis commorati sint unquam, a compluribus valde dubitatur, ex. gr. a Plehnio in Lesbiacis p. 27., qui rejicit sententiam Dionysii Halicarnassensis narrantis primi libri capite 13: Pelasgos in Cretam, *Cyclades*, et Euboeam dissipatos esse, atque exagitat Radolphum Rochettium, quod Dionysii narrationi, quae primo aspectu parum genuinam se prodat, fidem tribuerit. Mea quidem sententia, nequaquam nec Dionysio nec Rad. Rochettio nimio opere est confidendum, sed tamen facile in Cycladibus olim commoratos fuisse Pelasgos mihi persuaserim. Testimonia quidem certa nullique dubitationi obnoxia proferre non possumus, sed ut multis in rebus in conjecturis, si satis modo probabiles sint, nobis acquiescendum est: ita hic quoque illis nitamur oportet. — In Creta Pelasgos fuisse nemo dubitet. Adde quod in Peloponneso, in Creta, in Asia minore insulisque adjacentibus Pelasgos fuisse constat, nonne etiam Cyclades ab iisdem esse frequentatas facili pacto concedendum est? Numquid verisimile est eos has insulas in migrando semper consulto vitasse? Immo primos Cycladum incolas, quantum in remotissima illa tempora penetrare nobis licet, Pelasgos fuisse, eosque illic terram ac pacis artes

coluisse maximopere persuasum mihi habeo. Rem vero haud dubiam relinquere videtur locus apud Herodotum ¹⁾, νησιῶται δὲ (scil. Cycladum incolae) . . . καὶ τοῦτο Πελαογικὸν ἔθνος, ὕστερον δὲ Ἰωνικὸν ἐκλήθη κ. τ. λ.

§. 3.

De Phoenicibus et Caribus. Minois thalassocratia.

Multo certior est Carum, Lelegum, et Phoenicum in Cycladibus commoratio. Ex Marmore Pario ²⁾ Cadmus anno 1519 ante Chr. n. in Graeciam pervenit i. e. Phoenices navigatores ad Graeciam appulerunt. Sed forte jam multo prius pervenerint necesse est. Nam tempore Minois in summo potestatis erant fastigio, implebantque Graeciae incolas metu ac terrore. Sedes stabiles ibi fixisse non videntur, quarum vestigium certum nullum reperitur, sed mercatus tantum habuerunt. Cares vero, qui in Cyclades casu pulsus nescio quo, paullo post Phoenicibus se socios adjungebant, domicilia in insulis et terra continenti collocabant. Fama eorum non ita multo post major fuit quam gloria Phoenicum quibus ipsis navium numero et praedationibus se praestiterunt terribiliores. Totum mare infestum fecerunt ³⁾.

Minoem igitur mythicum illum Cretae regem ⁴⁾, qui intelligeret omne Graecorum commercium et incrementum populorum potestatis, agri culturam ipsam in maximo versari periculo, magno navium parato numero, Cares simulque Cyclades ipsas sibi subjecisse

1) Herod. 7, 95.

2) Marmor Parium p. 240 ibiq. Lydiat et Prid.

3) Thucyd. 1, 4 et 8.

4) Auctore Eusebio in chron. 19. 1250 ante Chr. Herod. tribus aetates ante bellum Troj. cf. ll. 13, 450 sq. Od. 19, 178 sq.

narrant. Quibus jam est usus ad instituendam thallassocratiam suam. Thucydides I. I. dicit quidem: Minoa Cyclades solas in ditionem redegisse, sed certum est dominationem ejus multas amplexam esse insulas alias et partem ipsius Asiae Minoris. Quod imperium ut magis firmaret, partim incolas Graecas ejecit, partim colonos Graecos eo deduxit, *οἰκιστρῆς ὄν*, ut Thuc. dicit. Parum tribuimus fidei Diodoro, qui Cyclades usque ad Minois tempora plane incultas fuisse ac desertas opinatur, tumque incolas accepisse primos, qui sortitionem fecissent agrorum narrat. Quacum sortitionis narratione alia conspirat apud Thucydidem: Minois filios insularum duces esse factos. Quod vero nihil aliud significat, nisi insulas Cyclades in ditionem Cretensium pervenisse¹⁾. Aristoteles Polit. 2, 7. idem cum Thucydide sentit de expulsis Caribus et colonis Graecis: eoque magis huic narrationi confidere licet. Sed universos Cares expulsos esse, non credibile est. Contradicunt narrationes omnes de navigationibus Carum perpetuis, praecipue vero Thucydidis de Minoe verba, qui piraticas deleverit *ἐφ' ὅσον ἰδύνατο* et Herodoti 1, 171. paruisse quidem Cares Minoi, sed tributum non pendentes, naves solas praebuisse²⁾.

Quantam auctoritatem, quantam omnium rerum vim Cares potestate sua maritima in Graecia sibi paraverint, sententia docet Thucydidis: expeditionem, qualis fuerit Trojana, tantummodo infracta Carum vi a Graecis suscipi potuisse. Sed parum diuturna erat

1) Ita explicatur colonia de qua Apollod. 3, 1 et 3, 13. loquitur. Diod. 5, 78. Hoeck. in hist. Cret. laudat Philostr. vit. Apoll. 2, 7. Cyrill. contra Jul. 6. p. 190. Plut. de exil. T. 8. p. 379.

2) Isocrat. Panath. p. 453 sq.

haec maris quies, qua Graeci in otio vivere et pace frui potuerunt. Jam ex multis Homeri locis apparet, Graecos ante Trojam a circumvagantibus Caribus et Phoenicibus turbatos fuisse. Magis manifestum fit etiam ex iis locis, quibus poeta naturam conditionemque latrociniorum perspicue exprimit, Homeridarum certe tempore praedationes in omni mari et oris consueto more factas esse. In memoriam tibi revoca tantum artificiosissimam de infantia Eumaci narrationem, unde illis temporibus mercatores Phoenices ubique locorum circumvagantes repertos esse intelligimus.

Etiam Pseudocres ille (Ulixes) Phoenicum auxilio ab insula Creta in Ithacam se navi vectum simulat. Quod dicere non potuisset, nisi notissimi fuissent Phoenicum cursus maritimi et talem fictionem facile credi ipse certus fuisset. Gravissima esse existimo talia testimonia. Sed probabilius etiam ostendit Hymn. Hom. in Bacchum, ad quem al. l. revertimur, eo tempore mare turbatum esse a populis vagis. Quae narratio etiamsi non de Phoenicibus Caribusve traditur, tamen accuratissime descripta rei maritimae imago ejusmodi casus in dies accidisse ostendit. Qualia haec sunt, poeta ab aliis tradita habere non potuit. Statuendum igitur, Cares post Trojam captam iterum fuisse mari potitos.

Minime me latet esse fortasse, qui dicant ex testimoniis, qualia nos protulimus, sequi navigationem et totam rem navalem et Carum et Phoenicum non prius quam post Trojam captam effloruisse in mari Aegaeo. His enim temporibus primum translatas esse in Graeciam Phoenicum artes deorumque cultus, atque in universum valuisse societatem inter Graecos et populos Asiaticos. Hoc non nego. Sed ab altera

parte inficiari nullo modo possumus jam diu ante Trojam Cares et Phoenices multum valuisse mari. Phoenicum quidem vestigia fere tota evanuerunt, propterea quod colonias proprie non condebant sed portus tantummodo struebant et lucrum ex insularum metallis sperabant. Atque insuper, licetne Thucydidis testimonia et Strabonis et tot alias narrationes de aetate Minois plane rejicere? Locus apud Diodorum 5, 84. sane quidem tempora posteriora spectat; nec non Eusebius potestatem Carum maritimam ad annum 341. ante Chr. refert; sed uterque, puto, loquitur de instauratione Carum potestatis, prioris temporis Cycladum historia plane omissa.

§. 4.

De Carum et Lelegum patria ac stirpe.

Quoniam oratio ita fert, brevem quaestionem de stirpe ac patria Carum et Lelegum hoc loco inserere animus est. Quaeritur num insulae Cyclades patria sint Carum, necne, quaeque ratio obtineat inter Cares et Leleges. Cares jam antiquissimis temporibus has insulas insedissee tam certum videbatur, ut ipse Herodotus Cyclades insulas proprias eorum sedes ac domicilium fuisse crederet. Ex sententia enim Cretensium, quod probe notandum, εἰσὶ δὲ, inquit, τούτων Κᾶρες μὲν ἀπιγμένοι εἰς τὴν ἡπειρον ἐκ τῶν νήσων· τὸ γὰρ παλαιὸν ἔοντες Μίνω τε κατήκοοι καὶ καλεόμενοι Λέλεγες, εἶχον τὰς νήσους, φόρον μὲν οὐδένα ὑποτελέοντες, ὅσον καὶ ἐγὼ δυνατός εἰμι μακρότατον ἐξικέσθαι ἀκοῆ, οἱ δὲ, ὅπως Μίνω δέοιτο, ἐπλήρουν οἱ τὰς νέας. Pariter qui eum sequitur Strabo, sed ipse huic traditioni parum habet fidei. Cares dicit, Minoi subjectos, Leleges tum temporis esse nominatos, et statim: Cares

in continentem transvectos, Pelasgos et Leleges, qui terram obtinuerint antea, in ditionem redelegisse, ἀφελόμενοι. Cares et Leleges eundem esse populum, fortasse propterea arbitrati sunt, quod postea Leleges in continenti cum Caribus conjuncti et tanquam iis subiecti habitarent. Hoc est, quum Pausanias ¹⁾ dicat: *Ἀέλεγες δὲ τοῦ Καρικῶν μοῖρα*: quo porro spectare videtur Athenaeus ²⁾, ubi Theangulus laudatur, qui in libro suo de Caribus et Lelegibus dicat: Cares Lelegibus tanquam servis usos esse *παλαί τε καὶ νῦν*: *παλαί* scil. ex quo conjuncti erant cum Caribus, opinor. —

Principio multum discriminis intercessit inter Cares et Leleges. Jam Homerus ³⁾ ambos populos plane distinguit. Leleges enim erant stirpis Graecae, sicut Pelasgi, etiamsi sedes eorum tam late quam illorum minime paterent, et eodem prorsus sensu, quo Pelasgi, hi Leleges quoque barbari a nonnullis sunt nominati. Leleges, quorum nomen Hesiodus ⁴⁾ derivat a *λέγειν ἐκ γῆς* explicatque *lapides e terra electos*, hanc rem conjungens cum fabula de Pyrrha, circa Parnassum habitabant, ubi tanquam partem eorum sese offerunt Locri. Post spargebantur per plura Graeciae mediae loca et per Peloponnesum ⁵⁾; sed amabant tamen oras. Quo facilius factum est, ut in mare deducerentur ad alias terras visendas, et noma-

1) Pausan. 7, 2, 4.

2) Athen. 6, 271.

3) Hom. Il. 14, 499.

4) Hes. fragm. 25. Goettl.

*Λοκρὸς Ἀελέγων ἠγγήσατο λαῶν
τοὺς ἡμῶν ποτε Κρονίδης Ζεὺς ἀφθίτα μῆδ' αἰδοῦς
λεκτοὺς ἐκ γαίης λαοὺς πορὲ Λευκαλίωνος.*

5) Aristot. apud Strab. 7, 321. 322. ibiq. Hesiod.

dum nomen ¹⁾ traherent. Itaque in Cyclades profecti Caribus immiscebantur. Numero et arte navali ab iis superati subijciebantur atque in Cares quasi transierunt. Ex quo quae varia perpetiebantur Cares, eorum participes fiebant etiam Leleges, qui denique nonnisi servi Carum nominabantur. Haec omnia ita comparata sunt, ut nemini facile incredibilia videantur. Attamen memoratu dignum est, quod Thucydides Leleges nullo loco commemorat. Fortasse autem ejus tempore Leleges prorsus amplectebatur nomen Caricum, tum multis modis adhuc celebratum.

Cares, quorum ad stirpem indagandam jam pervenimus, erant barbari. Ab Homero vocati βαρβαροφῶνοι, refutabant ipsi, ut Herodotus dicit, se eundem ac Leleges esse populum sed contendebant patriam esse continentem et semet ipsos indigenas, ἀυτόχθονας ²⁾, neque unquam nomen immutasse. Huc accedit quod Diodorus 5, 51. dicit: ducentis annis post Thraeces in insulam *Naxum* ducem aliquem, nomine *Naxi*, ex regione *Latmiae* ³⁾ circa montem *Latmum* in *Caria*, expulsus pervenisse ibique imperasse. Regnante ejus nepote, *Smerde*, *Leucippi* filio, *Theseum* *Ariadnam* in insulam deduxisse. Quod qua auctoritate tradiderit Diodorus, nescio, sed nimiam fidem haud tribuerim, quamquam disertis verbis confirmet. Hoc certe statuendum est, illos Cares non primos advenas esse potuisse, quia non credibile est, Carum potestatem per tres hominum aetates usque ad celeberrimam thalassoeratiam incrementa cepisse. — Sed ut redeamus ad Carum sedes primas, quas omnia

1) Strab. 12, 858. nominat eos *πλανήτας ἀνθρώπους*.

2) Pausan. 7, 2. p. 525.

3) Ita legimus cum Palmerio et Wesseling. pro prorsus falso *Lamia*.

confirmant indicia in Asia fuisse, omnino refellenda videtur Heynii ¹⁾ et Wachsmuthii ²⁾ sententia, Cares fuisse Graecos, quippe quae et Pausaniae et Strabonis testimoniis aperte repugnat; maxime vero impedit etiam narratio Herodoti, Cares patriam in continenti vetustissimo sacro ad Mylassas et affinitate cum Mysis Lydisque contendisse. De Carum et Lydorum *Jove Labrandino* disputavit Creuzerus in Symbol., ubi etiam de templo Hecatae ἐν Λαγίνοις in Caria, et Jove Chrysaore omnibus Caribus communi disseruit. Quod denuo declarat eos semper societatem cum populis barbaris iniisse, prae ceteris autem cum Phoenicibus. Nec tamen infitias ire licet eos diuturna et crebra consuetudine varios Graecorum mores induisse. Pariter ex lingua Graeca multa verba receperunt ³⁾, ex quibus si Radolph. Rochettius suspicatur argumenta originis Graecae redundare, prorsus refutandus est. Non satis perspexit locum Pausaniae ⁴⁾, qui Cares dicit lingua a Graeca plane diversa usos esse. Idem Homerus et Strabo, qui illum explicare magnopere studet, et ita quidem, ut linguam Carum Graecae vindicaret. Sed frustra. Cares enim nec Graece nec dialecto loquutos esse linguae Graecae ex ipsis poetae verbis apparet.

At transitus Carum in Cyclades tempore tam remoto factus est, ut certius indicari nequeat. In Graecia continente, opibus maritimis maxime aucti, *θαλασσοκρατίαν* instituebant, cui Minos tandem finem

1) Heyne de epochis Castoris. Nov. Comm. Gott. vol. 1 et 2.

2) Wachsmuth. Hellen. Alterth. 1. p. 29.

3) Strab. 14, 662.

4) Pausan. 9, 23. Herod. 8, 135. Plut. de def. orac. 2, 414. Hom. Il. 2, 867. Strab. 14, 648.

imposuit, ut suum superstrueret imperium maritimum. Nam Cycladum possessionem ad imperium maris Aegei obtinendum prorsus necessariam fuisse liquet, si spectamus eos populos, qui *θαλασσοκρατίαν* ibi habuerunt: Cares, Cretenses, Naxios ipsos, et Athenienses. Phoenices autem nunquam verum imperium exercuisse, sed in sola mercatura et piratica acquiesse videntur ¹⁾.

Sed Carum historiam, quatenus huc pertinet, ad finem perducamus. Supra jam animadvertimus, eos, imperio sibi a Cretensibus crepto, auctoritatem priorem imprimis in Cycladibus paulatim recuperasse. Quod tenuerunt usque ad migrationem Jonicorum populorum Nelidibus ducibus, ubi novi et quidem Graecae stirpis incolae Cyclades obsederunt. Cares vero maximam partem in Asiam trajecisse inque posterum proprias sedes rursus reliquisse non videntur.

Sed paucis adhuc memoranda est Thueydidis 4, 8. narratio, ex qua, quum insula Delus in bello Peloponnesiaco lustraretur et sepulcra quot fuissent in insula demoverentur, plus quam dimidium fuerint Cares. Quod cognitum est ex armis quibuscum erant sepulti.

II.

RES MYTHICAE INSULAE NAXI.

§. 1.

Translatio cultus Dionysiaci in insulam Naxum.

Primos qui cultum Dionysiacum transtulerunt in Naxum Thraces fuisse, extra omnem positum esse

1) Conon p. 650. Strab. 14, 676. Marm. Par. 240.

videtur dubitationem. Scriptores omnes omnino consentiunt. Quas vero sedes hi Thraeces, novas quaerentes, reliquerint, ambigitur. Regionem ad Strymonem, postea Thraciam nominatam, ab hac quaestione alienam habentes nos contendimus venisse illos Naxi colonos ex sedibus Thracum primariis, patria poeseos et cultus *Bacchici*, in *Pieria* sub monte Olympi. Quin enim in his regionibus cultus Dionysi, cujus in hac quaestione plurimum interest, primus constitutus fuerit negari nequit. Atque haudquaquam dubius sum, quin hujus dei cultus jam sub idem fere tempus, quo in Boeotiam transferebatur, in Naxum quoque transvectus sit. Etiam si Diodorus non dixisset, Naxum Carum duces ducentis annis post Thraeces in insulam venisse, haberemus etiam alia indicia, cultum Dionysiacum in insula antiquissimum esse. Ex primo enim fonte, h. e. cum iis ritibus, qui in Boeotia adjecti sunt, non mixtus, ibi ortus esse videtur ¹⁾.

§. 2.

De Lycurgo et Bute.

Liber adhuc puer ab Junone infensa excitatus e patria Nysa exit et cum nutricibus nymphis debacchantibus saltuosos agros pervagatur atque valles. Neque multum absuit ut noverca odioso puero perniciem moliens, assequeretur id quod voluit, dum Thracum regem Lycurgum contra juvenilem deum puerum subornat. Qui saeva immanitate furens proruit e saltuosis montibus et *boum stimulo* vel securi ad boves caedendos idonea (nam utrumque est βούπληξ) dis-

1) Si imperium Minois ex Marm. Par. in ann. 1420-1440 ponimus, tres vero aetates inter Minoem et Naxum duces, et ducenti anni a Thracibus sunt usque ad Naxum, Thraeces profecti essent in insulam anno fere 1800. a. Chr.

sipat nympharum choros. Omnibus dispersis Dionysus confugit ad Thetidem, quae inter Samothracem et Imbrum ¹⁾ in saxeo antro marino habitans puerum trepidum in sinu servat (ὑπεδέξατο κόλπω). Talis vero impietas, morte ei mulctanda erat ita ut ab Jove excaecatus brevi moreretur. Apollodorus vero plurimique alii scriptores Dionysum cum ad insaniam adegisse exhibent. Diodorus more suo totam historiam mirum in modum convertens, Dionysum illum adeo cruci affixisse commemorat. Alii etiam aliter. Nos in universum Homerum secuti sumus, qui Il. 6, 130. ita refert:

οὐδὲ γὰρ, οὐδὲ Δρύαντος υἱὸς κρατερὸς Ἀγκόοργος,
 δὴν ἦν, ὃς ἴα θεοῖσιν ἐπουρανίοισιν ἔριξεν
 ὃς ποτε μαινομένοιο Λιωνύσοιο τιθήνας
 σεῦε κατ' ἠγάθειον Νυσήϊον· αἱ δ' ἄμα πᾶσαι
 Δύσθλα χαμαὶ κατέχευαν, ὑπ' ἀνδροφόνοιο Ἀν-
 κούργου.

θεινόμεναι βουπλήγι· Λιώνυσος δὲ φοβηθεὶς
 δύσεθ' ἄλως κατὰ κῆμα. Θέτις δ' ὑπεδέξατο κόλπω
 δειδιότα· κρατερὸς γὰρ ἔχε τρόμος ἀνδρὸς ὁμοκλή.
 τῷ μὲν ἔπειτ' ὀδύσαντο θεοὶ ῥεῖα ζώοντες
 καὶ μιν τυφλὸν ἔθηκε Κρόνον παῖς οὐδ' ἄρ' ἔτι δὴν
 ἦν, ἐπεὶ ἀθανάτοισιν ἀπήχθετο πᾶσι θεοῖσιν.

Tamen quum posteriore aevo Pieres versus septentrionem proficiscerentur, hunc mythum etiam sermo atque opinio populorum in illas Thraciae regiones ad montem Pangaeum ferebat, faciebatque Lycurgum regem *Edonum* ²⁾.

Illi Lycurgo fratrem fuisse minorem, sed non

1) Il. 24, 78-83. cf. H. H. in Cererem 187. 286.

2) De tractat. fabulae apud posteros Hor. Carm. 2, 29, 16. ibiq. interpr. Prop. 3, 15, 23. Soph. Ant. 952, et quae ibi congressit Wex.

unius matris, auctor est Diodorus. Qui Butes nominatus fratri necem parasse, et a patre insidiis detectis, cum conjuratis terra relicta ad novam patriam quaerendam compulsus esse dicitur. Quibus rebus factum est, ut Cyclades percurrrens, insula Strongyle potiretur. Nutrimentum cepit ex eo, quod quicumque navigarent in illam regionem, eos bonis privaret. Sed quod in multis antiquis coloniis accidit, reperimus etiam apud hos Thraces. Mulierum raritate laborabant. Propterea fortunam experiebantur. A compluribus vero prohibiti venerunt in Thessaliam, ubi ad terram classe appulsa, inciderunt in *Dionysi nutrices*, quae in Phthiotica Achaja, ad montem *Drium*, a densa arborum sylva ita nominatum, Bacchica sacra celebrabant. Illae vi oppressae, abjectis rebus ad dei cultum pertinentibus, partim ad mare confugiunt, partim in montem *Drium*. Una vero *Coronis* correpta et a Bute compressa est. Indignabunda de raptu et ignominia, Dionysum ad auxilium vocavit. Propere subvenit Butemque insanum reddidit, ita ut mente captus in puteum irrueret et periret. Ceteri Thraces, quibusdam aliis mulieribus raptis, quarum nobilissimae *Iphimedia* ejusque filia *Panocratis* erant, cum his Strongylen navibus redierunt.

Quamvis etiam valde confusa sit tota narratio, id tamen primo adspectu conspici potest, eandem esse fabulam eam quam antea protulimus. *Butes* idem est qui *Lycurgus*, eique similis. Tanquam ferus princeps peregrinus proruit in solemnes pompas *Dionysi* ejusque comitatus. *Nysa* mons est *Drius* secundum hanc fabulam. Uterque est mons saltuosus. *Dionysus* quamquam choreis praesens non dictus, haud tamen procul esse potest a *nutricibus* ex quibus postea *Hyiades* et *Maenades* sunt factae. Et hoc

jam notandum nonnullas aufugere in montem *Drium*, alias ad mare, sicut in alia fabula nutrices in *Nysam* et *Dionysum* ad *Thetidem*. Accedit modo quod *Coronis*, a *Bute* comprehensa, eum auxilio vocavit. Hac nutrici suae offensione allata, ipse offenditur et vindex *Buti* eandem quam *Lycurgo* irrogat poenam.

§. 3.

Interpretatio hujus mythi et sacra *Trieterica*.

Obscurus esse videtur hic mythus. Ad *Dionysum* mysticum vero eum pertinere demonstrari tamen potest. Nam rationem habet tristem et maxime formidolosam, qualis fere ad festa *Trieterica* apta est, quae praesertim a *Thracibus* et ad *Nysam* celebrabantur. Haud secus videtur, ac si omnia ad *Trieterica* pertinentia i. e. ad *Dionysum mysticum*, sive ad *Dionysum βουζέρον* — a mugiendo et saeviendo ita appellatum — ante oculos haberemus. Ad veritatem depictum videmus ferox mulierum bacchanal pervagans cum *Delphicis Thyjadibus*, quae *Dionysum puerum*, tanquam *λικνίτην* brachiis erigunt ¹⁾. *Puerum* vero cogitatum esse *Dionysum* a *Lycurgo* vexatum jam monuimus, atque in insidiis deo a *Lycurgo* factis; *Dionysum laceratum* h. e. τὰ πᾶθη Διονύσου agnoscere minime difficile est. Porro spectabant illum *Dionysum laceratum*, sive *mortem dei*, sacra illo festo a sacerdotibus facta, quibus *Bacchus* sub tauri forma repraesentatus a sacerdote quodam vexatus sese servabat eo, quod in mare se projiceret. Quocum usu congruere videtur alius *Argivorum*, quem apud eundem scriptorem legimus: *Bacchum* in aqua versantem et ex ea revocandum cogitari.

1) Plutarch. de *Iside* cap. 35.

Tauriformem autem sive *βουρέριον* Liberum in fabulis nostris fingi vidimus, quod adversarius dei *boum stimulo βουπλήγι*, hunc persequatur. Quod idem est ac si sacerdos taurum trucidat *securi*. Ubi vero Dionysus occurrit sub *tauri forma significatione mystica* cogitabatur.

Quam mature miri hi ritus probarentur etiam ab aliis, docet narratio, eos migratione Aeolum divulgatos atque una a Tenedi incolis acceptos esse. Apud quos teste Aeliano ¹⁾ in solemnibus quibusdam *vacca* tanquam *mulier gravida* curabatur, et quem peperit vitulum, Dionysi more vestitus sacrificabatur. Quam vero qui interfecerit, illi ad mare aufugiendum erat, ut supplicio se subtraheret. In cujusmodi ritu si Creuzerus ²⁾ mores vere Aegyptiacos agnoscere sibi visus est, nihil aliud h. l. respondere possum nisi hoc: de principiis universae mythologiae in brevi haec opella disputari non posse.

In insulam Lesbum, fortasse eadem migratione deducti sunt similes ritus. Dionysus *Omadius* et *Omester*, quo nomine Dionysus Zagreus propter Omophagiam saepissime occurrit, ibi colebatur. Quae sacra Edonibus adscribit Aeschylus, quod ex opinione saeculorum sequentium idem valet, ac si dixisset ea a Thracibus esse profecta. Quomodo facta sit haec permutatio, jam supra vidimus. Hae narrationes et sacra Trieterica ita inter sese consentiunt, ut illas ex his modo esse fictas, et vestimento quasi historico indutas arbitremur; nec quisquam credo reperitur, qui dubitet, quin nos hac in narratione *solemnia Trieterica* ante oculos habeamus, praecipue vero si

1) Aelian. histor. anim. 12, 34.

2) Creuzer. Symbol. 3, 333.

Hymnorum Orphicorum 51 et 52, qui festa Trieterica natura ipsa duce describunt, conferantur.

§. 4.

Mythus de Bute vindicatur insulae Naxo.

Fabula Butis post Lycurgum initium cepisse et solum imitando effecta esse videtur. Num tamen nomen *Butes* bubuleus, ex *βουπλήγι* ortum sit, ubi *stimulus* sive *securis* tanquam verus dei in tauri formam mutati interfector cogitatus sit, in medio relinquo. Verum id haud ambiguum videtur, quod totus hic mythus ad Naxum referendus sit atque ex hac ratione solummodo explicandus. Alio enim modo omni sensu caret, et in tota mythologia nullum existat exemplum eundem mythum eodem loco esse repetitum. Quod tamen fieret, si narrationes de Bute et Lycurgo in unum confunderentur.

Ergo hunc mythum Naxiis idem valuisse ac Thracibus mythum de Lycurgo probabile mihi videtur. Jam antiquissimis temporibus cultum Dionysi in Naxum translatum esse, ibique deum semper maximopere cultum fuisse, cujus primaria putaretur sedes et deliciae, constat: num mirum esset, si Naxii eundem mythum et originem solemnium Trietericorum, quam possiderent Boeotii ad quos postea cultus dei Thracicus perlatus esset, sibi effingerent? Mihi quidem verisimillimum videtur insulam sacram quae omnem dei cultum complecteretur, primum festorum hibernorum mythum, quo Dionysum adversarius prosequeretur et laceraret, in usum suum convertere studuisse. Habebant jam advenas Thracios, qui cultum transtulerant, excogitabantque ad haec Butem, item Thracem, ne quid alieni immisceretur, atque ut omnia congruerent, Thracium montem Drium in

insulam ipsam transposuerunt. Quo in saltu postea nuptiae Dionysi et Ariadnae celebratae fingebantur. Haec translatio ex Thracia facta eo magis exoptata erat, quo facilius Aloidarum mythum, qui vere et juste cultum instituerunt, conjungere poterant, interposita fabella de mulieribus, quibus novi insulae incolae caruisse dicebantur. Hoc iterum in terra fere eadem accidere, non est, quod miremur, cum terris Thessaliae arctius quam ulla alia conjuncti erant Naxii Thraeces.

Qua de causa exploratum mihi videtur Trieterica Naxi celebrata esse, quod ut pro certo habeamus, similis ceterorum sacrorum ratio, ut infra videbimus, amplius etiam nos impellit. Quodsi vero *Trieterica Naxi* celebrata statuimus, etiam Boeotica *Agrionia*, quae pariter sacra hiberna ac cum Trietericis arctissime conjuncta erant, eo deducta esse statuere debemus. In his enim praesertim ad Orchomenum actis, sacerdos virginem securi prosequabatur, et mulieres Dionysum, quem ad Musas elapsam putabant, revocabant. Quae comperta habemus ex Plutarchi quaestionibus Graecis cap. 28: καὶ μέχρι νῦν Ὀρχομένιοι τὰς ἀπὸ τοῦ γένους (Minyeii) οὕτω καλοῦσι καὶ γίνεταν παρ' ἐνιαυτὸν ἐν τοῖς Ἀγριωνίοις φυγὴ καὶ δίωξις αὐτῶν ὑπὸ τοῦ ἱερέως τοῦ Διονύσου ξίφος ἔχοντος. Et ex Plutarchi symposio lib. 8. prooem. οὐ φάσιως οὖν καὶ παρ' ἡμῖν ἐν τοῖς Ἀγριωνίοις τὸν Διόνυσον αἱ γυναῖκες ὡς ἀποδεδρακότα ζητοῦσιν· εἴτα παίονται καὶ λέγουσιν, ὅτι πρὸς τὰς Μοῖσας καταπέφυγε καὶ κέκρηται παρ' ἐκείναις.

§. 5.

De Paneratide.

Verum revocanda est disputatio ad eum locum Diodori unde divertit. — Thraeces Diam regressi Butis

loco *Agassameno* regi creato, pulchram *Panocratidem* in matrimonium dederunt. De cuius possessione jam antea duces *Sicelus* et *Hecatorus* certamen ingressi, mutua caede sese affecerunt. *Agassamenus* vero amicum quendam ducem elegit, cui *Iphimedium* uxorem dedit. Ita *Diodorus*, sed aliter *Parthenius*¹⁾, apud quem virgines *Pantrato* atque *Iphimede* et qui eas rapuerunt *Scellis* et *Cassamenus* nominantur. Uter veriora horum nomina servaverit, *Diodorus* an *Parthenius*, non temere dixerim. Quae *Parthenius* refert, praetulerim propterea, quod ex *Andriscis Naxiacis* se hausisse testatur. Quod significationem attinet, nihil discriminis intercedere inter nominationem utriusque scriptoris, patet. Sed ad sublevandam aliquantulum interpretationem haec nomina non magis juvant, quam *Iphimediae* et *Panocratidis*. Magni utique momenti hic mythus esse non videtur. Satis est indicare: heroinas *Bacchici* cultus *Naxiaci* fuisse, quae ex dei nutricibus religionem peculiarem assecutae essent. Quod enim praeterea de his traditur, nihil est nisi quod brevi sint mortuae, *Iphimedia* vero post mortem a *Mylassensibus*²⁾ in *Caria* divino honore culta. Quo solum in reditu *Carum* fabulae ejus translatae esse possunt. Num in sacra insula ipsa haec sit culta, non est cur dubitemus.

§. 6.

De *Aloidis*.

Panocratis nata erat ex *Iphimedia* et *Aloeo*. Hic *Otum* et *Ephialtem*, inclutos filios qui a patre *Aloidae* dicebantur, ad conjugem filiamque indagandas emi-

1) *Parthen.* erotica cap. 19. cf. *Hygin.* fab. 28.

2) *Pausan.* *Phoc.* lib. 10, 28. fine.

sit. Qui cursu ad Strongylen directo, ibi matrem et sororem repperunt, atque Thracibus devictis urbem expugnaverunt. Nova vero patria non relicta, summa imperii potiti heroes, Thracibus imperaverunt atque insulam non magis Strongylen sed Diam vocaverunt. Lite tamen inter ipsos exorta et pugna commissa perierunt Thracum multi. Aloidae semetipsos trucidaverunt. Ita narrat Diodorus, a quo in universum abhorrere non videtur Pindarus¹⁾, dum canit:

ἐν Νάξῳ παντὶ θανεῖν λιπαροῖ
 Ἴριμεδείας παῖδες, ὦπτον καὶ σέ τολμᾶεις Ἐφιάλτα
 ἄναξ.

De quorum magnitudine, fortitudine, et audacia quae mira exhibuerunt varii scriptores Müllerus²⁾ Vir. Cl., quantum in his rebus maxime obscuris fieri potest, in luce posuit. Post eum atque Welckerum³⁾ rem difficillimam denuo excussit Völker⁴⁾. Huc vero haec fabula ea tantum ratione pertinet, qua *Musas* ducebant illi heroes, quaque ratione cultum Dionysiacum vere et proprie in Naxum transferebant ibique instituebant. Nam Dionysiaca indoles praevalebat in his heroibus, quamquam eorum nomen *areae homines* ab altera eorum significatione, qua ad *Cerealia* pertinent, desumptum est. Sepulcra eorum teste Pausania 9, 22, 5. Anthedone in propinquo templorum *Cereris* et *Dionysi* reperta sunt; h. e. prope templa numinum, quorum erant heroes. Addit vero statim auctor ex Homero et Pindaro in sacra insula Naxo eos obiisse. Pariter Diodorus. De cultu eo-

-
- 1) Pind. Pyth. 4, 88. Dissenius suspicatur validiorem fuisse Ephialtem, quippe qui appelletur a poeta.
 2) Müllerus in histor. Orchom. p. 381 sq.
 3) Welcker, in Schwenk etym. mythol. Andeutungen p. 316 sq.
 4) Völker: Ueber die Aloidien. In krit. Bibliot. Jan. 1828. Nr. 2.

rum Naxi certiores nos fecit inscriptio a Villoisonio reperta ¹⁾

ΟΡΟΣ ΤΕΜΕΝΟΥΣ ΤΟΥ ΩΤΟΥ
ΚΑΙ ΕΦΙΑΛΤΟΥ

unde templum eos ibi habuisse ac cultos esse discimus.

Hi Aloidae, quorum mater ac soror jam tanquam nymphae in dei comitatu et heroinae reperiebantur, prisci Dionysiaci cultus translatores habebantur, quibus sacram insulam subjectam fuisse narratur. His nihil aliud significatur nisi, illam cultui hujus dei prorsus sacram fuisse.

Re vera autem, pergit fabula, hi Naxii heroes filii erant non Aloei, sed Neptuni, divini patris, qui etiam vario modo conjunctus est cum Dionyso. Sufficiet memorare Neptunum Genesium, Genethium, Phyalmium ²⁾ etc. Huic patri contra Martem ³⁾ opem ferebant, quem pro insolito robore vinculis (χαλκίω ἐν κεράμω) vinciebant atque per tredecim menses in custodia habebant. Quod temporis spatium, ex rationibus Welckeri l. l., mensem intercalarem festorum Trietericorum, quae supra sacrae insulae vindicare studuimus, spectare mihi videtur, quamquam ille Vir Cl. hanc conjecturam non nisi dubitanter proposuisse videtur. Quod vero dubium velim ex nostra disquisitione tollatur.

Noverca autem Aloidarum, Euriboea, ex odio, subornavit Mercurium, ut Martem, qui vinculis solutis Naxum aufugerat et occultum se abdiderat in antrum „σιδηροβρότιν πέτραν”, liberaret.

1) Villoisou. Mém. de l'acad. des inscript. tom. 47. p. 313.

2) Creuzer Symbol. 4, 77.

3) Eustath. ad Il. 5, 385-91.

Quod ad mortem Aloidarum attinet, interfecti esse traduntur, metu ne eorum potentia contra deos nimia fieret quum propter incredibile robur deorum contemptores putarentur. Quamobrem etiam telis Dianae sicut Porphyrii et Orioni moriendum iis erat. Itaque narratur, Dianam in cervam mutatam cursum ita direxisse ut ab utroque fratre simul telis peteretur. Sic illos quum cervam transfigere vellent semetipsos transfixisse. Quod refert Scholiasta ad II. addens: *ἐρασθέντες Ἥρας καὶ Ἀστίμηδος γάμων* 1).

§. 7.

Ortus Dionysi in insula Naxo.

Haud aliter fieri poterat, quam ut sacra Dionysi insula ab initio statim ortum quoque dei sibi vindicaret. Montes Naxi et sylvae locum idoneum ad montem Nysam fingendum, in quo nutrices dei choreas ducerent, facile praebuerunt. Fabulae igitur Naxiae narrabant puerum Dionysum infantem octo mensium e flammis quidem exsiluisse, non tamen Jovis femori insertum, sed ad se esse allatum, quum vires vitae sufficientes habuisset. Naxiae Nysae cum nutriendum et nymphis *Philiae*, *Cleidi* et *Coronidi*, quam cum Thracia ejusdem nominis muliere noli permutare, educandum traditum esse. Et fontem, porro narrant, in quo ablutus sit infans, dulci vino seaturire, cum fons Boeoticus, in quo secundum aliam fabulam ablutus sit, tantum aquam puram vino similem contineat. Ex illa vero narratione exorta est alia, quam apud Stephanum Byzantium s. v. *Νάξος* ex Asclepiade haustam, legimus. Junonem, post-

1) Similiter Apollod. 1, 7, 4. Alias de morte eorum narrationes vide si lubet, apud Diodorum 4, 87. Schol. Hom. II. l. 1. Apollon. 1, 484. Hygin. fab. 88.

quam in gratiam cum privigno redierit, Naxiis mulieribus beneficium octavo quoque mense liberos iustae maturitatis pariendi dedisse. Placet hoc loco Meleagri epigramma ¹⁾ afferre, quo ad has narrationes alludere videtur poeta:

*Αἰ νόμφαι τὸν Βάκχον, ὅτ' ἐκ πυρὸς ἤγατο κοῦρος
νύμφαν ὑπὲρ τέφρας ἄσπι κλυτόμενον.*

*Τοῦνεκα σὺν νόμφαις Βρόμιος φίλος ἦν δέ νιν
εἰργης*

μίσγεσθαι, δέξη πῦρ ἔτι καιόμενον.

Commemorandum tamen est, Naxios non pertinaciter in doctrina de simplici dei ortu perstitisse. Legimus enim apud poetam Homericum ²⁾

*οἱ μὲν γὰρ Δρακάνῳ σ' οἱ δ' Ἰάκῳ ἠνεμοίσαα
φάσ', οἱ δ' ἐν Νάξῳ, Διον γένος, Εἰραφιῶτα.*

te esse natum ex lumbo Jovis. Quibus vero locis Dionysus natus ex Jovis lumbo occurrit, ibi tanquam *Bacchus* sive *Jacchos*, i. e. significatione mystica semper habendus. Ad quod infra ad Dionysi mystici cultum Naxium declarandum revertemur.

§. 3.

De nymphis Dionysiis.

Nutrices Dionysi apparent modo tanquam Bacchae sive Maenades Liberi in peregrinationibus comites modo Hyiades ⁵⁾, quae postea in stellas mutatae sunt. Tam varii eorum parentes nominantur, ut de hac re disputantes operam perderemus. Hyginus ⁴⁾ de his nymphis fusius dicit, hoc fere modo: Hyiades, Phecreydes Atheniensis, Liberi nutrices esse demonstrat,

1) Jacobs delect. epigr. Gr. cap. 7, 34.

2) Hymn. Hom. 25, init.

3) cf. de his Ovid. metam. 3, 314. Apollod. 3, 4, 3. alios.

4) Hygin. poet. astron. 2, 21. fab. 191.

numero septem, quas etiam ante nymphas Dodonidas appellatas. Harum nomina sunt haec: Ambrosia, Eudora, Pedile, Coronis, Polisso, Phyleto, Thyone. Alii habent Hyiadum numero duas, tres, quinque, sex. Cujus nominis rationem Scholiasta Arati ex eo repetens, quod eae Bacchum educaverint, quo probet "Υγη esse Bacchum, subjicit hunc Euphorionis versum, quem credibile est desumptum esse ex hujus poetae Dionysio:

"Υγη ταυροζέφωτι Διονύσῳ ποτίσασα.

Sed Plejades pariter atque Hyiades ¹⁾ Dionysi nutrices nominantur. Quae tanquam stellae primum locum tenent inter eas, quae virescentem tempore verno herbam indicant, ideoque a Latinis *Vergiliae* dicuntur. Dicit autem Pherecydes septem sorores fuisse, Lycurgi filias, in Naxo insula oriundas et propterea quod Bacchum educaverint, a Jove inter sidera relatas ²⁾.

Valde dolendum est, quod tam pauca de his fabulis comperta habemus, a multis poetis iisque classicis veluti a Pindaro celebratis.

§. 9.

Antra Bacchica.

Antra autem Bacchica quod attinet, haec et a scriptoribus et ab artificibus toties commemorantur, quoties res illius dei sacrae. Prae ceteris nobilitatum est Bacchicum antrum in Naxo insula, in quo deus a nymphis nutritus ferebatur. Scholiasta illud antrum *δὴ δὴ δὴ εἶεν* refert, unde Bacchus dictus

1) Schol. Il. 18, 486. Sturz. Pherecyd. fragm. p. 114. Hesiod. erg. 383. 615.

2) Schol. German. ad v. 255 p. 65. Etymol. *Πλειῶς*.

3) Schol. Apoll. Rhod. 4, 1131.

Διθύραμβος, atque antrum ipsum *διθύραγγος* nominatum, quia duobus ostiis instructum esset. Fusius explicat Etymolog. M. s. v. *Διθύραμβος*, Dithyrambum cognomen esse Dionysi, quia in antro duobus ostiis praedito nutritus esset. J. H. Vossius ¹⁾ comparat saxuosum antrum Philoctetae apud Sophoclem, quod duplici exitu instructum per hiemem sole quam matutino tam vespertino tepescebat, per aestatem vero aeris perflatum habebat.

Posteriore tempore Dionysi cognomen Dithyrambi de duplici ortu interpretabantur, quam novam explicationem Euripides ²⁾ in usum suum convertit implicuitque fabulae Thebanae. Ceteroquin etymologia verbi *Διθύραμβος* a duplici ostio omnino falsa est, quum *v* productum tantum apud scriptores pravissimos et postremae aetatis corripatur. *Διθύραμβος* verbum origine obscura tumultuantes choreas ad honorem Bacchi significasse conjicit Vossius, priusquam ad duplicem ortum adhibitum fuerit, aequae ac *θρίαμβος* chorea joci et cavillationis post Alexandrum significationem ridiculae pompae triumphalis accepisset.

Verumtamen antra Bacchica, neglecta Porphyrii ³⁾ sententia, relinquere non possumus, qui scriptor item hujus rei mentionem facit et quod probe notandum in *exemplis antrorum diis dicatorum, priusquam templa extruerentur*. Artifices vero, inquit, bacchicum antrum operose a se effectum non minus crebro exhibuisse picturis quam aliis operibus artificiosis. Quale antrum auctore Pausania in

1) J. H. Vossius ep. mythol. 4, 77.

2) Eur. Bacch. 526.

3) Porphyr. de antr. Nymphar. cap. 20. p. 29.

cista Cypseli exhibitum, atque secundum Athenaeum ¹⁾ in pompa regis Ptolemaei Bacchicum antrum in conspectu positum fuisse dicitur. Pietor apud Philostratum ²⁾ in ornando die festo natali addidit antrum quoddam, ad quod Creuzerus (Dionys. 273.) observat: „nos quidem nostri consilii causa teneamus ab illo antro sive Naxio sive Nysio in quo Dionysus educatus ferebatur, traductum esse, *Bacchici antri* nomen ad omnia ea, quae arboribus floribusque atque racemis exornata et specie sua umbraque placerent, et suavitate odorum admirabili igiturque voluptatis significationem ei appellationi fuisse adjunctam.”

§. 10.

De Pholo atque amicitia Dionysi et Vulcani.

Jam ex his quae protulimus apparet, Dionysi cultum nusquam fere radices tam firmas egisse, quam in Naxo, sede Deo gratissima. Sed sermones populi de possessione sacrae hujus insulae divulgaverunt alias etiam fabulas, quam eas secundum quas de jure originis illam accepisset. Scholiasta enim ad Theocritum ³⁾ perhibet ita: *Φόλος, ὃν οὐ ξενισθέντα τὸν Ἡρακλῆα φασὶ πολλοί· ὁ μέντοι οἶνος ὁ δοθεὶς ὑπὸ Διονύσου χαριστήριον, ἀνθ' ὧν Νάξον προσέειπεν ὁ Φόλος, κοινομένου παρ' αὐτῷ εἰς τὸν Ἡρακλειον.* — Herculem igitur apud Pholum vinum bibisse, quod hic a Dionyso acceperit, pro quo Pholum insulam Naxum, quum Dionyso certamen de ea cum Vulcano esset, priori adjudicasse. Hic vero Pholus notus est ille centaurus in Pholoë habitans, ac quum genus

1) Athen. 5, cap. 31. p. 272. cf. 4, cap. 29.

2) Philostrat. imagg. 1, 14.

3) Schol. Theocr. Idyll. 7, 119.

Centauroꝝ cum Dionyso occurrat conjunctum, facile est intellectu, cur insulam ei addixerit. Quam rem Stesichorus etiam cecinerat in Geryonide ¹⁾, ubi de Hercule dicit :

Σκύπριον δὲ λαβὼν δέπας ἔμμετρος ὡς τριλάγγνον
πῖεν ἐπισηγόμενος, τό ῥά οἱ παρέθηκε Φόλος κεράσας.

In Scholiastae Theocritei verbis : *Νάξον προσέειμεν ὁ Φόλος* suspicatur Creuzerus ²⁾ latere quidpiam, quod fortasse expediri possit ope nummorum in quibus Bacchus conspiciatur a *Centauris bigis vectus* v. c. in Cycizemis apud Ekkelium. — In Naxiis autem Bacchus saepe cum diota occurrit ³⁾, quae fortasse conjungenda est cum cratere, quem affabre effectum a Vulcano ejusque uxore Venere Dionyso dono datum esse, Nonnus narrat ⁴⁾, Dionysum vero hunc craterem tripodii praemium constituisse. Alias Dionysus a Vulcano in Naxo hospitio exceptus amphoram accepisse fertur, quam Thetidi dono dedit, quum eum Lycurgum fugientem tam benigne excepisset. At haec historia de donatione amphorae verisimillime, quod jam Heffterus ⁵⁾ monuit, additamentum est ab narratione Thracica alienum. Vir Clarissimus hanc esse inventionem Homeri suspicatur aut tantummodo rem quamlibet esse arcessitam quae posteriorem de bello Trojano fabulam ⁶⁾ annexerit. Hoc in medio relinquam, sed fabulam fuisse aevi posterioris pro certo habeo ductus *Eustathii* verbis,

1) Stesichorus apud Athen. 11, 499. cf. etiam Diodor. 4, 12.

2) Creuzer. Dionys. p. 14.

3) Ekkel. doctr. numm. 2, 333 et 451. Cum cantharo apud Beger. Thes. Brand. 1, 434.

4) Nonnus 19, 516.

5) Heffter. Zeitschrift für Alterthumsk. Nr. 103. 1834.

6) Od. 24, 74. Il. 23, 91.

quae ad II. 23, 91. profert p. 1239. ed. Rom. ἦν δὲ ὁ χουσοῦς οὗτος ἀμφιφορεὺς, ἢ ἡ Θέτις πρὸς Διονύσου ἐλάθει ἐν Νάξῳ τῇ νήσῳ χαρισαμένου ὅτε διωχθέντες ὑπὸ Λυκούργου αὐτῇ ἐν κόλπῳ ἐδέξατο καθ' ἃ ὁ ποιήτης εἶπεν ἀλλαχοῦ. καὶ ὄρα οἶος πολυχανδῆς ὁ κρατὴρ ἐκεῖνος etc. — πολυχανδῆς quia cinis Achilles et Patrocli inditus erat. Verbis ἐν Νάξῳ mea sententia probari videtur, alio tempore Dionysum hanc amphoram Thetidi dono dedisse, quam quum Lycurgum fugeret, fortasse quum in insula Naxo cum Vulcano amicitiam iniret. Nam Bacchus in illa fuga puer adhuc cogitatus, secundum fabulas nondum fuerat in Naxo, ubi eum ortum esse verisimile multo postea fictum est. Opinio Dionysum Thetidi pro benignitate qua ab ea exceptus erat gratias dono illo egisse, exoriri facillime poterat. Quodsi locum Eustathii citatum explicemus ad verbum, Thetidem, quum donum acciperet, Naxi fuisse oportuit. Jam in Odyssea I. I. eandem reperimus historiam. Comparari etiam potest Scholiasia qui ad Lycophronem ¹⁾ hanc rem fusius narrat; contendit vero simul indita fuisse ossa Antilochi. Auctorem totius fabulae Scholiasta ad Iliadem ²⁾ profert Stesichorum; et Cyclicos quoque haec eadem jam attigisse e Quinto Smyrnaeo et Tzetzae carminibus probabile reddidit Heynius ³⁾.

Quodsi hasce sequimur fabulas, ambo dii post illud de insula certamen, amicitia reperiebantur denovo conjuncti, quae quod colligere licet ex illa narratione qua Dionysus Vulcanum in Olympum reduxerit, diutius duraverit necesse est. Signum amicitiae

1) Schol. ad Lycophr. 273.

2) Schol. Venet. ad II. 6, 130.

3) Heyne Observatt. ad Hom. Tom. 8. p. 376.

affert etiam Creuzerus ¹⁾ quod Athenienses in Apaturis, Dionyso *Μελανειγίδι* simul cum Jove celebratis, festivis vestimentis ornati tulerint faeces, Vulcanumque, memoriam ignis ab eo donati renovantes, carminibus celebraverint. Verum etiam hoc iis numeribus commune est quod utrumque ex aqua secundum aliquas fabulas enatum esse dicatur.

Sermo quum incidit in Vulcanum, haud abs re fuerit, adungere reliquas fabulas quae pertinent ad Vulcani conjunctionem cum Naxo. Eustathius ²⁾ narrat: Junonem simulacrum Vulcanum pepererit eum Cedalionem in insula Naxo tradidisse, ut apud eum fabricam ferrariam disceret. Putandum tamen est, hunc Cedalionem fuisse eundem, quem Vulcanus in Lemno excaecato Orioni ducem dedit, quamquam locus ubi hoc evenit, semper *Lemnus*, atque ille Cedalion *θεράπων* sive *παῖς εἰς* Vulcani ³⁾ apud Apollodorum nominetur. Videtur tantum commoratio Vulcani in Naxo et Lemno permutata esse.

Videmus igitur, non dubitandum esse, quin Vulcanus aliquando commoratus sit Naxi. Quo vero tempore haec commoratio fuisse statuenda sit, difficile est dictu. Aetatem puerilem eum ibi degisse discimus ab Eustathio; quum tamen in insula Lemno jam ex antiquissimo tempore habitaret ibique sedes ejus primaria esset, statuendum nobis est: insulam Naxum, quae insuper metallis abundaret, et amicitiam Dionysi eum ita allexisse, ut quolibet tempore ibi commoraretur. Illi adeo postea confecit coronam Ariadnae.

1) Creuz. Symbol. 3, 403.

2) Eustath. ad Il. 14, 244. cf. Tzetz. Chil. 3, 226.

3) Hygin. fab. 195. Eratosth. 32. et qui ex eo hausit Apoll. 1, 4, 3. Parthen. 20.

§. 12.

De Tyrrhenis et Dionyso.

Hic fortasse locus nobis datur, quo suavissimam illam Naxiorum fabellam inserere possimus secundum quam Dionysus a Tyrrhenis navigatoribus arreptus, hos in delphinos mutaverit. Quod ad Tyrrhenos spectat ad Odofr. Mülleri¹⁾ disquisitiones, quibus omnes de natura atque origine hujus populi controversiae compositae sunt, lectorem ablegare mihi licet. — Ex stirpe Pelasgorum, turba quaedam migrationibus pervenerat in Asiam Minorem, in Tyrrham regionem Lydiae ad meridiem sitam. — Qua nova patria reperta, mutaverant nomen ita ut posthac *Pelasgi Tyrrheni* aut simpliciter *Tyrrheni* nominarentur. Quo nomine etiam occurrunt in hymno Homérico sexto. Omnino dissimiles auctoribus stirpis in oris et maribus, praesertim Aegaeo circumvagantes, piraticam et raptum hominum exercebant et solo nomine terrorem injiciebant ingentem, quali in errore ponendum est, eos offendisse Dionysum et quidem in ripa aliqua ἀκτῆ ἐπιπροβλήτι, quonam vero loco, ignoramus. Si Apollodorum²⁾ sequamur, id quidem eo factum est, ut deus reditum ab Icaro in Naxum pararet. In hoc tamen omnes consentiunt, Naxum cum petiturum fuisse. Ex Aglaosthene, qui pariter atque Andriscus Naxiaca composuit, narrat Hyginus Tyrrhenos fuisse quosdam navicularios, qui *Liberum puerum* receptum ut Naxum cum sociis suis comitibus transvectum redderent nutricibus nymphis. Navicularii spe praedae inducti, navem avertere voluerunt; quod Liber suspicatus, comites suos jubet sym-

1) Mülleri Etrusc. 1, 75. sq.

2) Apollod. 3, 5, 5.

phonia canere: quo sonitu inaudito Tyrrheni cum usque eo delectarentur, ut etiam in saltationibus essent occupati, cupiditate se in mare inscii projece- runt et ibi delphini sunt facti.

Hactenus Hyginus. Ovidius ¹⁾ eandem materiam pertractavit, nec vero solita artis peritia et suavitate, ac nimis dilatavit. Pulcherrime atque jucundissime sexto Hymno Homericō haec res celebratur. Dionysus juvenili adhuc aetate florens et venustis elegantibus- que vestimentis ornatus moratur in maris littore. Subito piratae Tyrrheni, fato infausto ducti, quum primum conspexerunt, cum vi comprehensum in na- vem rapiunt, eum esse regis cujusdam filium opi- nati. Quum vero vincula quibus eum vincire vole- bant statim solverentur, gubernator sociis acclamavit, Deum aliquem esse oportere, sive Jovem, sive Apol- linem sive Neptunum sive quendam alium. Tamen hi delegantes illum ad officium, Bacchum negant in libertatem vindicare, sed in Aegyptum, Cyprum, ad Hyperboreos aut aliorum portare volunt. Portentum fit. Vinum odorem spargens suavem circumfluit na- vem, tanquam ambrosia circum diffusa sit. Antennas palmites circumplicant, sertis circumnexas. Naviga- tores obstupefacti appellere gubernatorem jubent, Dionysus in leonem mutatus in transtris consistit et truci vultu circumspicit. Illi autem perterriti cir- cumdant prudentem gubernatorem. Hunc arripit deus. Quod alii videntes et perniciem effugituri in mare prosiliunt, delphini facti. Gubernatori se de- claravit deus reddiditque eum felicissimum.

Hic mythus celeberrimus et ab antiquis poetis et ab operum artificibus variis modis pertractatus est.

1) Ovid. metamorph. 3, 577-709.

Quod ex praeclaro anaglypho Athenis in Zoophoro monumenti choragici Lysicratis colligere ¹⁾ licet. Etiam Euripides ²⁾ hanc historiam memorat, atque addit Junonem hos piratas misisse, ut Bacchum in longinquas terras avectum venderent. Habet vero Euripides ita:

*ἔπει γὰρ Ἥρα σοι γένος Τυρσηγιῶν
λήστων ἐπώρσεν, ὡς ὀδηθείης μακρῶν.*

Cognitum habemus ex Creuzero ³⁾ delphinus aliis quoque modis cum Dionyso cohaesisse et de Inone et Palaemone monet. Sed prae ceteris primaria Dionysi sedes Naxus erat ubi delphini, quae tamen animalia plane poetica sunt, multum valebant, non modo quia cum Dionyso conjuncti reperiebantur sed etiam quia delphinus symbolum erat Neptuni. Ad rem navalem prorsus pertinens praecipue in mari Aegaeo vivebat et tanquam praeparans secundum cursum cogitabatur. Quae omnia insulae Naxo, quae fere in medio mari Aegaeo sita, olim imperium maritimum tenebat, maximi erant momenti.

At Naxiorum sermo longius etiam processit, ita ut de delphinis loquerentur, qui essent homines. De talibus quasi delphino-hominibus, in carminibus ipsis celebratis, docet nos Nonnus ⁴⁾, qui ex prioribus scriptoribus hausisse videtur. Quod vero ad interpretationem hujus fabulae pertinet, suspicatur Müllerus ⁵⁾, in delphinos mutationem ex proverbiali loquendi ge-

1) Mülleri Denkmäler der alten Kunst tab. 35, n. 150.

2) Eurip. Cyclops 11.

3) Creuzer Symbol. 2, 600.

4) Nonnus 23, 292. 38, 371. 43, 191. 288.

5) Müll. Etrusc. 1, 286.

nere ortam esse, quo Pindarus etiam audaces nautas appellat, *Δελφίνας ἐν πόντῳ*, ideoque delphinum nominari Tyrrhenum piscem ¹⁾. Aliter rem interpretatur Boettiger ²⁾.

Mutationem vero Dionysi in leonem ita intellexim: ipsum primum ac valentissimum deorum, ideoque prae ceteris esse colendum. De quo, quaeso, conferas hymnum Orphicum quadragesimum quartum. Hoc posteri saepe imitati sunt, quemadmodum Horatius ³⁾ canit:

Tu, cum parentis regna per arduum
Cohors gigantum scanderet impia,
Rhoeti retorsisti leonis

Unguibus horribilique mala.

Ex eo quod Dionysus qui formam mutat, *αἰολόμορφος* nobis occurrit, jure concludimus hunc esse Dionysum *Bacchicum* sive *mysticum*. Ceteroquin jam h. l. nominatur deus *ἐρίβρομος* v. 56. *qui saevit*, tanquam si Phrygicis tympanis pulsus excitatae Maenades „evoë“ clamantes cum circumfundunt ⁴⁾.

§. 42.

De Ariadna et Dionyso.

Tandem eo perveni, quo diu animus tendebat, ut de Ariadna Dionysi conjuge verba facerem. Insignes

1) laudat Müllerus Val. Flacc. Argon. 1, 130. Stat. Achill. 1. 35. Senec. Agam. 447.

2) Boettiger p. 157.

3) Hor. Carmen in Bacch. 2, 19, 21. ibiq. Mitscherl. Vir. Cl.

4) Eur. Bacch. 1017. Dion. 6, 182. Nonnus 40, 45. locus classicus de mutata Dionysi forma.

autem fuerunt in mythologia Graeca partes quas egit Ariadna Naxia. Sed plus etiam difficultatum objicit hic mythus quam multi alii. Quo magis dolendum est, quod certiora tam pauca prodita sunt. Nam nullus fere alius mythus populo poetisque tam placebat et magis conveniebat cum orationibus gloriam populi augmentibus tum carminibus pangendis. Itaque factum est, ut hic mythus per omnes fere aetates transformaretur, atque mirum in modum cresceret et amplificaretur. Qua de re jam Plutarchus et Pausanias movent, ne omnibus quae narrentur fidem habeamus sed ad verum a falso caute disjungendum valde adhortantur. Sed quid subsidiis, quae quidem suppeditaverit antiquitas, effici possit, animus est experiri. Ex numero eorum qui de Ariadna dixerint, nunc sufficit laudare Hocckium Virum Clar., qui in historia sua Cretensium nuperrime etiam hunc mythum subtiliter atque acute pertractavit. Alia vero mihi in hac disquisitione incunda erat ratio, quam Viro illi Clar., quippe qui Cretam imprimis respexit. Mihi Naxus potissimum spectanda erat. Unde factum est, ut aliam disquisitionis summam adducerem, an veriore? aliorum est dijudicare. Itaque prae ceteris hoc libro usus sum, ita tamen ut non semper laudarem quascunque Viri Doct. sententias. Quae alii pauca et obiter monuerunt, parum in usum meum convertere mihi licuit.

Uti in superioribus etiam h. l. disputationem annectimus iis quae scriptor Siculus loco supra laudato narrat; ducentos jam annos inhabitasse Thraces insulam Naxum quum propter terrae sterilitatem sedes suas reliquissent, quae postea a Caribus ex urbe Latmia venientibus occupatae et ab eorum duce Naxo, cujus nomen insula ex eo tulisset, possessae essent.

Hunc virum fortem ac strenuum filium Leucippum reliquisse, quem pariter regem, sicut hujus filium Smerdium insulae imperium tenuisse. Narrationes hae fictaene sicut a Diodoro an patriis Naxiorum fabulis nisae, alius judicio viri doctioris relinquamus; nosmet talibus narrationibus multum veri inesse non confidimus, licet notatu dignum sit, quod scriptor continuo totam genealogiam annectit, affirmatque Smerde regnante Theseum cum Ariadna a Creta in Naxum esse transvectum. Hic quidem Thesei adventus a veteribus omnibus fere pro certissimo habebatur.

Thesei iter in insulam Naxum et Ariadna relicta.

Quod de Thesei itinere Cretensi et conjunctione cum Ariadna compertum habemus, ex Atheniensium narrationibus haustum est. Alios fontes non habemus. Narrant autem, Theseum inter juvenes fuisse, qui pro tributo Atheniensibus a Cretensi rege Minoe imposito in Cretam mittendi essent. Cretam venisse, ibique auxilio Ariadnae, interfecto Minotauro, e Labyrintho eductum. Servatum et adamatum eam cui fidem connubii dedisset, simul deduxisse et avectum esse. Phaedram Ariadnae sororem, quam aliae fabulae post Ariadnam conjugem Thesei fingunt, esse secutam. In insula Naxo, tempestate ut Hyginus narrat, retentum et reputantem si Ariadnam in patriam duxisset, sibi opprobrio futurum, eam dormientem reliquisse. Sed maxime variant narrationes de abitu Thesei. Cum narratione modo allata consentit alia, quae a Plutarcho in Theseo servata est: Hesiodum quoque cantasse, Theseum, et quidem ut alii addunt, quia amore Aeglae caperetur, Ariadnam perfide reliquisse in insula Naxo, Pisistratum

verò hunc versum, ne crimini verteretur Atheniensibus, delevisse. Hoc autumat Hereas Megarensis, qui servavit versum illum Hesiodicum:

Δεινὸς γὰρ μιν ἔκτειρεν ἕως Πανοπηίδος Αἰγλήs

Idem dicit: Pisistratum contra in *Homeri Nectomyam* hunc versum

Θυσία Πειριθοόοντε, θεῶν ἀριδείκτα τέκνα
in gratiam Atheniensium infernisse.

Etiam Diodorus ¹⁾ celebratissimum heroem a perfidia ingratoque animo liberaturus, Bacchum, inquit, conjugem ei clam subduxisse. Ex eadem ut videtur, causa refert Philochorus apud Homerum ²⁾, a Minerva Theseum Ariadna relicta Athenas renavigare jussum esse. Cui Theseus quamquam invitus morem gesserit. Perfide vero relicta et conjugis amore flagrans, Ariadna afflicto animo fuisse fertur. Qua conditione, acerbissimo dolore capta omnique consolatio abjecto et a poetis et ab artificibus variis modis depicta est. Praesertim poetae Romani miseriam Ariadnae mollissimis verbis exprimunt. Conferas tantummodo Ovidii artem amandi 1, 527-540 et Heroid. 10. Catulli Epithalamium Pelei et Thetidis v. 120-250.

His narrationibus illa quae est apud Homerum ³⁾ sese adjungit. Ulixes adspicit apud inferos inter conjuges filiasque heroum etiam

καλήν τ' Ἀριάδην

*κούρην Μίνως δλοόφρονος, ἣν ποτε Θησεὺς
ἐκ Κρήτης ἐς γουνὸν Ἀθηναίων ἰεράων
ἦγε μὲν, οὐδ' ἀπόνητο πάρος δέ μιν Ἀρτεμις ἔκτα
Δίη ἐν ἀμφιρῦτῃ Διονύσου μαρτυρήσιν.*

-
- 1) Diod. 4, 61. 63. Pitture d'Ercole. T. 1. t. 5 ubi gratiae virginum expressae sunt. cf. Ov. Heroid. 10.
2) Od. 11, 320. Schol. Pherecyd. fragm. Sturz. p. 197.
3) Odys. 11, 321.

Ergo poetam Homericum Thesei iter et conjunctio cum Ariadna non latet. Simulque poeta ille crimine flagitiosae consuetudinis et perfidiae Ariadnae relictæ heroem liberare studet. Dicit enim Ariadnam a Diana interfectam esse, quia, quod indicavit Dionysus ipse, in sacro Liberi luco cum Theseo concubuerit. Idem quod Plutarchus ex Herea Megarensi de loco Hesiodi a Pisistrato in gratiam Atheniensium extincto itemque de versu Homeri eodem consilio inserto refert, factum est etiam hoc loco a rhapsodo aliquo, Atheniensi fortasse. Nam insertus est hic locus, ut infra quoque occasio commemorandi dabitur. Ita scilicet agere necesse erat Atheniensibus, ut maculam delerent, quoniam heroem suum summis laudibus celebratum in Naxum venisse fluxerant eumque ab omni crimine liberatum volebant. Sed finxerant tantum Theseum in Naxum venisse, quod ex ratione historica utique negandum est. Nunquam enim Theseus non magis in Naxum venit, quam in Cretam ¹⁾.

Theseus sacra instituit: Qualiæcunque hæc fuerint indicatur.

Quod in principio talibus de Theseo populi narrationibus locum dederit, difficillimum est, hoc tempore aperire. Hoc tamen pro certissimo affirmare possumus, iter quod Theseus susceperit in Naxum nihil aliud sibi voluisse, nisi ut cultus Dionysi et Ariadnae Athenas translatus explicaret. Notum erat sacra Atheniensium propter societatem quæ inter ipsos et Naxios intercedebat vario modo mutata esse, quin festum *Oschophoriorum* ex origine prorsus Na-

1) De Thesei expeditione Müllerus in *Doriens.* 1, 242 et post eum Hoeckius in *hist. Cret.*

xia esse. Quum primum fabula de itinere ejus in Cretam suscepto ficta esset, facillimum erat, cum per Naxum et Delum redeuntem facere. Nam memoria, quaecunque de rebus variis ad cultum pertinentibus in ore populi sint et carminibus servata, nexu historico quaesito in unum redigere studet. Quocirca liquido apparere videtur *traditiones de cultu* toti narrationi ansam dedisse. Illas igitur quod attinet, clara et certa est sententia, ita ut hoc quasi fundamento posito, ulteriora persequi liceat.

Simulatque Theseus surrexit Athenis, respublica et quae ad deorum cultum pertinent, subito convertebantur. Conferebant igitur in illud nomen, quod plurimum currente tempore erat effectum. Suam quidem suaeque patriae gloriam ille prae omnibus auxerat, populum placatis diis calamitate liberaverat sacris novis institutis: populo in deliciis erat. Superbiebant Athenienses hoc heroe, atque narrationes populi et poetarum fictiones res a Theseo gestas mirum quantum celebrabant. Qualia mendacia impudentia quidem sed tamen acceptissima oratores et demagogi, ut Atheniensibus ambitiosis adularentur, dicere potuerint, neminem fugit¹⁾. Jam Plutarchus in Theseo²⁾ dicit: multa *γράφουσι καὶ ἄδουσι*, et Pausanias³⁾: varia narrat vulgus de Theseo, quae mendacia aut in tragoediis acta sunt: *λέγεται μὲν δὴ καὶ ἄλλα οὐκ ἀληθῆ παρὰ τοῖς πολλοῖς, οἷα ἱστορίας ἀνηκόοις οὔσι, καὶ ὅποσα ἤκουον εὐθύς ἐκ παιδῶν ἐν τε χόροις καὶ τραγωδίαις πιστὰ ἔγονυμένοις.*

1) Isocrat. Panathen.

2) Plut. Thes. 19.

3) Pausan. 1, 3, 2.

In fabulis quae Theseum festum *Oschophoriorum* instituentem faciunt, antiquissimis jam temporibus societas quaedam Atheniensium et Naxiorum conspicitur. Qualis vero erat haec societas? — In eo versata est, ut solemnia inter se permutarent: Athenienses enim maximam partem *Dionysiacorum* festorum et partem ut videtur, *Cerealium* ex insula Naxo acceperunt. Quid, ais, Naxi Cerealia? atque e Naxo acceperint Athenae Cerealia? Ita sane videtur. Theseus postquam e Naxo redierat instituit *Cerealia*. Num primus fuerit, verisimile non esse fateor. Sed fortasse denuo restituit, et tum e festis Dionysiacis instituit *Oschophoria* prorsus in Naxo usitata. Sed quo tandem modo, si quaeritur, pervenerunt Cerealia in Naxum, respondebo: cultu Aloidarum ut jam supra annotavimus ac cultu Proserpinae. Quod si forte offensionem est, fit immerito. Nam si omnia quae de Ariadna fabulantur iterum atque iterum perpendimus, sub figura hujus deae nihil aliud cogitare possumus, nisi formam quandam esse Proserpinae, *Κόρη* Graecorum, etiamsi necessitudine insulae Naxi quae cum Creta et Asia Minore intercedebat amplificata et immutata esset. Quod ad filiam regis Cretensis spectat, jam mihi est dicendum, sed antea paucis

Sacra Dionysi *mystici* in insula Naxo demonstrantur.

Sacra Dionysi *mystici*, Bacchi sive Jacchi, quod fere idem est, in Naxo firmis radicibus haesisse, argumentis certis ostendi potest. Dionysi enim nutrices, postea Maenades et Hyiades et Thyiades et Pleiades nominatas, solummodo ex cultu mystico explicandas esse puto. Ad quem i. e. ad *Dionysum laniatum*, sive ad τὸ Λιονίσσον πάθη furor Lycurgi spectare videtur, ultio vero Dionysi ad *Omophagiam*

pertinet. Tum cultum mysticum spectant, quae intime cum illis nymphis cohaerent, sacra *Trieterica* et *Agrionia*, ut supra vidimus. Idem vero valet de mystico deo fabula ex qua Bacchus e lumbis Jovis iterum natus est. Semper enim Jovis filius est deus Jacchus, vicissimque hic vi mystica *filius Proserpinae* est. Ex Tyrrenorum quoque historia in *transformatione Dionysi* et in eo, quod tanquam *εἰβρομος* apparet, deum mysticum agnosci posse conjecimus. Porro vero plane extra dubitationem chori cantus apud Sophoclem in *Antigona* 1145 posuit: Dionysum omni pompa Bacchica Naxi celebratum esse. Invocatur ibi Dionysus, qui adveniat sive a Parnasso sive supra mare nec tamen solus, sed *comitantibus Naxiis Thyiadibus*, quae „*saevienti insania Tibi, Jaccho, per noctes choreas ducunt.*” Haec invocatio ad Bacchum mysticum indicandum jam sufficere mihi videtur. Sed alia etiam insunt, quae rem probabilem reddunt. Huc refero: *μίδεις δὲ παγκοίνοις Ἐλευσινίας Ἀήους ἐν κόλποις*, Eleusinii enim alium Dionysum atque Jacchum et Zagreum non noverunt, — tum Bacchae Coryciae nymphae circa Parnassum, quas haud alia ac mystica ratione cogitare possum, quaeque idem valent ac *Θυιάδες Νάξιαι περίπολοι, αἵ σε μαινόμενον πάννυχοι χορεύουσιν*, quae verba mihi prorsus incredibile reddere videntur deum mysticum et deum Eleusinium ignorari. Ceteroquin nihil reperire possum, cur haec Dionysi mystici interpretatio chori cantu et Sophocle indigna sit, qui utique ipse mysteriis initiatus erat, et hoc pro summa felicitate praedicabat. Eum porro locum, quo plures interpretes illum adventum supra mare intelligant de Euboea, equidem de Naxo intellexerim, nam Euboicus mons Nysa multo minus quam Naxius erat cele-

bratus, praecipue autem quia invocatur deus ut ab hac insula sacra cum Thyiadibus comitibus appareat. Quod vero ad *στονοίεντα πόρθμον* attinet, conjunctio quaedam fortasse utriusque cultus et transitus ab insula Naxo per Euboeam poetae animo observabatur, quum verisimile non sit poetam mare inter Naxum et continentem *πόρθμον* nominasse. Idem Joh. Henr. Vossius sensisse videtur, qui hunc locum respiciens l. supra l. dicit: der naxische Nysaberg war vertraulich mit dem euboeischen.

Ariadnam conjugem Dionysi esse Proserpinam ostenditur.

Sed jam revertimur ad quaestionem de Ariadna et dea Cretensi. Jam supra in explicandis festis Boeoticis, Trietericis et Agrioniis vidimus, quomodo omnia praepararentur ad Dionysi cultum in sacra insula pariter atque in terra continenti instituendum; quin vidimus etiam partim fabulas repeti in insula, quae quasi caput Dionysiaci cultus fieret. Itaque credere non possum heroinam Creticam quae ad cultum prorsus alium pertineret, solum conjugio Dionysi in numen aliquod quod in tota Graecorum mythologia tam definitum, tam insigne graveque est, commutari posse, nisi jam antea hujus deae naturam induerit. Si qua alia dea ante connubium fuisset, vestigia minus dubia existere deberent. Et quantum de ejus cultu novimus, concludimus, quum jam antea persuasi simus eandem esse hanc deam ac Minois filiam, ex ratione Cretensis solis lunaeque cultus. Si ponere velimus, fuisse hanc ante connubium aliam deam, cur nihil de hac re in fabulis, atque in poetarum carminibus traditur, quibus talis deae commutatio multam materiam praebuisset; cur nihil de templis et sacris? Quam primum prodit dea Ariadna, conjuncta

cum Dionyso apparet, ergo prorsus necesse est, ut a Baccho quaestio de hujus deae natura incipiatur, non a Cretensis regis filia. Omnino hac ratione nihil efficies quod probabilitatis speciem habeat. Hancce credulis Naxiis impositam, et ab his et ab Atheniensibus bona simplicitate tanquam deam acceptam, summoque loco habitam et splendidissimis sacris cultam esse, credat, qui velit.

Ab initio in cultu deorum Graecorum *societates quaedam*, ut ita dicam, constituebantur, quae intime inter se cohaerebant, nec facile divelli poterant, et cum diversi dii sibi non obstant sed inter se consociari possint, sola saepe societate deorum notio declaratur. Si igitur certa vestigia numinis alicujus habemus, omni diligentia circumspiciendum est, aliene numina, cum repertis sociata, investigare liceat. In insula Naxo vero cultu Dionysi integro nobis ante oculos posito, num mirari licet, si etiam numen, quod tam intime quam Proserpina cum Dionyso cohaerebat, cujus dei sacra sine ea ne existere quidem poterant, simul cum ejus cultu aliisque etiam causis fortasse accedentibus, excoleretur? — Mihi hoc ex ipsa rei natura sequi videtur. Attamen in contrariam partem asserre possis, etiam de Ariadna tanquam Proserpina pauca tantum nos cognita habere. Recte, sed eodem modo quo hanc mentionum inopiam loco Cretensis Dionysi conjugis contra ipsam, ita loco Ariadnae-Proserpinae pro ipsa testari confido, quia hujus deae cultus et ritus in universum Dionysi et Proserpinae cultum plane transiebat; quo factum est ut quae ad peculiarem Ariadnae cultum pertinebant generali omnino nomine Proserpinae comprehenderentur. Ariadnam aliquid *cultus Lunae* continere, contra meam sententiam proferri nequit. Proserpina

enim ipsa tanquam Lunae dea existit, et praeterea nonnulla habere videtur, quae ad cultus Asiae Minoris pertinent, adducta, ut credo, et e populo Carum, et multo cum Asia commercio. Omne dubium de hoc tollit hymnus Orphicus 55, 22, ubi legimus

Ἡ Νύμφαις τέρατα κτανώπιον ἐν χθόνι διὰ
Θίνας ἐπ' αἰγιαλοῖς ψαμώθεσιν ἄρματι κούρω.

Ex quibus elucet Syriam Venerem, sociam Adonidis-Bacchi Naxiis nympharum choreis se immiscuisse, nec nisi ut porro conicere possumus, in cultum Ariadnae vim fortasse exercuisse. Praesertim quam, quod infra videbimus, etiam Cypria-Venus tanquam Ariadna-Venus aliqua ex parte cum dea Naxia conjuncta esset. Haec sunt prae ceteris, quae nos commoverunt, ut supra *Ariadnam* tanquam *speciem quandam Proserpinae* definiremus.

Sed nomen Ariadnae ¹⁾ quomodo explicandum est? Constat ex ἀρι et ἀνδάνω h. e. „quae valde placet” ut *Εὐάδνη*, quae bene placet. Fortasse eo spectat, quod deus eam amaverit. Sed notandum est, Cretenses hanc deam testibus omnibus scriptoribus, non Ariadnam, sed *Ἀριδήλαν* nominasse, i. e. „lucida dea” „dea quae fulget”. Hesychius ²⁾ explicat ἀριδήλον ex ἔκδηλον et Phavorinus s. v. ex φανερόν. Neutiquam apparet, cur omnes viri docti qui de hac re disputaverunt, hoc veterum testimonio usi quidem, causam tamen expedire non studuerint. Ex mea enim sententia, hoc parum observatum est, quum nomina in interpretatione mythorum plurimum valeant ³⁾. Fortasse a vero haud aberraverim, si istam

1) Schwenk etym. myth. Andeutungen p. 158.

2) Hesych. 1. p. 529.

3) Buttmann. Mythologus 2, 168.

nominum diversitatem, in separanda utraque dea, qua re vero nihil antiquius habere possum, respiciam. Haec diversitas num fortuita sit? Minime gentium. Denominatione ipsa declaratur, quem ad cultum utraque dea pertineat. Quis neget: 'Αριδήλαν Lunae et Solis cultum indicare, et 'Αριάδρην convenire cum amica dei? Cretensem deam quod attinet, Hoeckii tractatio rerum Cretensium me plane consentientem habet, sed Naxiam deam et Cretensem idem ab origine esse numen, nego. Quae illuc pertinent, recte credo h. l. taceo.

Nihilominus non nego nomen similiter sonans multum ad confundendas deas attulisse, sed magis etiam connexum inter ambas insulas, praesertim tempore thalassoeratae Cretensis, hoc effecisse. Fabulae tamen de Theseo qui quasi deduxerit Ariadnam in insulam Naxum, ne miniam fidem tribuamus. Iter ejus enim omnino esse fictum patet. Quae tamen hujus fictionis causae fuerint primae, pariter nemo nunc facile dispexerit ac quomodo historia de Thesei amore orta sit, etsi compertum habeamus, hoc iter et totam narrationem de Pasiphaë et Minotauro multaque alia diligenti opera ab Atheniensibus impudentissime esse fabricata. Quod fusius expedit Hoeckius. Hoc tamen facile mihi persuaserim iter Thesei, postquam prima ejus mentio injecta erat, vulgo poetisque maxime placuisse etiam atque etiam dilatare et exornare. Quod vero ad *relictam* Ariadnam attinet, ex diligentia, quam Athenienses ad heroem crimine liberandum adhibebant, argumentandum est, primam narrationem fuisse, re vera Theseum Ariadnam reliquisse. Tantum abest, ut Ariadnae a Theseo in Naxum deductae vim Creticae originis hujus deae tribuam, ut potius aliquantisper cogitarem an forte in deducta a

Theseo Ariadna adumbrata imago raptae Proserpinae cognoscenda esset; quo facto tum nuptiae Bacchi et Ariadnae (scil. Proserpinae) sequerentur. Sed dubito fere, num quis propensus sit assentiri. Mirum sane eo ipso tempore h. e. auctumno, quo reditus Thesei evenerit et Ariadna relicta fuerit, festa etiam lugubria Proserpinae acta esse.

Quae alia ad fulciendam sententiae nostrae probabilitatem habemus, ea singulis narrationibus annectemus.

Narrationes aliae de Ariadna.

Plutarchus dicit in vita Thesei: multa narrantur de Ariadna, quae vero nihil certi continent. Ut alii narrant, se suspendebat Ariadna a Theseo relicta; ut alii: jam ante adventum a Theseo relicta ac sacerdoti Dionysi *Onaro* nupta a navigatoribus in Naxum deducta est. Quibus in nuptiis etiam suspicor esse occultam notationem ad cognoscendum raptum Proserpinae in deducta Ariadna. — Alii narrant Ariadnam ex Theseo peperisse duos filios *Oenopionem* et *Staphylum*, cui sententiae Chius Jon accedit, qui de patria sua refert.

Τὴν ποτε Θησείδης ἔκτισεν Οἰνοπίων.

Alia nomina filiorum Ariadnae ex Theseo susceptorum praebet Scholiasta ad Od. 11, 321: *Demophonem* scil. et *Acamantem*.

Longe alias vero narrationes exhibuit *Paeon Amathusius*. Dicit enim Theseum, tempestate in Cyprum depulsum, Ariadnam quae gravida et jactatione navigationis defatigata esset, ibi in terram exposuisse; ipsum autem navis auxilio se proripuisse. Mulieres quae illic fuerint Ariadnam excepisse, consolatas feminam plane relictam animoque demissam, detulisse

ei epistolas fictas, tanquam a Theseo scriptas, et in doloribus ex partu ortis strenua opera lata, sepelisse eam, quum non edito partu defuncta esset. Theseum vero reducem in Cyprum factum solemniter instituisse ad quae celebranda multos nummos reliquerit. Sacrasse Ariadnae etiam duo parva simulacra, alterum argenteum, alterum aeneum. In sacrificio quod secundo Gorpiaconis mensis die factum sit, procubuisse juvenem et clamorem motusque parturientis mulieris imitatum esse. Lucum vero ubi sepulcrum monstratur lucum Veneris - Ariadnae ab Amathusiis nominatum esse. —

Si deduxerant Theseum in Naxum, pronum erat, eum in Cyprum etiam proficiscentem facere, ut cultus quoque Veneris - Ariadnae, sive Veneris - Proserpinae historicis narrationibus explicaretur. Qui vero factum sit, ut cultus Ariadnae in Cyprum esset deductus, non in aprico est. Sine magno vero negotio intelligi potest, hoc Cypriorum festum verisimiliter idem esse, quam quod supra de Trietericis disputantes commemoravimus, ubi vacca tanquam mulier gravida curabatur.

De duabus Ariadnis Naxiorum.

Discrepat etiam id quod assertit Plutarchus apud quosdam Naxiorum scriptores repertum, duos fuisse Minoes duasque Ariadnas, alteram Baccho in Naxo nupsisse et Staphylum peperisse, alteram vero natu minorem a Theseo deductam et relictam, in Naxum pervenisse una cum nutrice *Coreyne*, cujus sepulcrum eo tempore adhuc ostenderetur. Hanc Ariadnam mortuam ibi coli quidem, sed ratione plane alia atque Ariadnam majorem natu Dionysi conjugem. Quid vero sibi vult haec de duabus Ariadnis fabella?

Nihil aliud nisi id Naxios, qui perstiterint in eo, quod Dionysus apud ipsos natus esset, pati etiam noluisse, quum imperio Cretico subjecti essent, ut Cretensium sacerdotum ordo suam Aridelam sub figura Ariadnae Naxiis obtruderent, iisque eam persuaderent. Ad quod melius intelligendum, probe notes, Ariadnam Dionysi conjugem natu majorem esse quam illam Aridelam. Quod silentio non est praetermittendum, nihilomagus quam ille rumor apud Naxios, ipsisque etiam hoc fuisse persuasum propriam Ariadnam *nativam* esse. Quam primum, ita pergamus, Thesei iter, quod certe etiam Cretensibus non molestum erat, ab Atheniensibus fabricatum erat, nullo alio modo ab odioso Cretensium sacerdotum imperio se tutos ac non turbatos praestare potuerunt, quam concedendo, Theseum deduxisse quidem fugitivam illam Cretensium principem, hanc tamen deam Naxiacam prorsus intactam reliquisse. Et statuerunt eam ob causam duas deas diversas, quae dividerent inter se partes Ariadnae - Proserpinae. Quin etiam fraudationes Cretensium eo usque audaciae progrediebantur, ut adeo nuptias Dionysi et Ariadnae in Creta ipsa actas esse simularent¹⁾, sperantes fore ut ejusmodi dolis bonis Naxiis suam Aridelam eo facilius persuaderent. — Nihil mirum habet, quod Naxii ab Atheniensibus et Cretensibus in arte vana jactandi vincerentur.

Solemnia Naxiorum.

Plutarchus: solemne, ait, Ariadnae majoris natu, festivitate, hilaritate, et ludis jocosis celebratum esse, sacrificia minoris vero natu luctu et cum dolore quodam conjuncta fuisse. Luce clarius est, in his festis

1) Hyginus ex scriptor, *Cretensibus*. Poet. astr. II, 5.

praecipua duo Dionysi et Proserpinae sacrorum genera lineamentis maxime insignibus indicari. Quodsi pars sacrorum a compluribus Cretensi Aridelaē celebrata cogitaretur, hoc nos offendere nequit, quum haec opinio, uti demonstrare modo conati sumus, facillime exoriri possit. Minime igitur me falli credo, si in festis lugubribus Ariadnae sacratis, Atheniensium solemnia Thesmophoriorum agnoscam. Quibus auctumno actis inter pompas funebres multae res gestabantur, quae ad raptam Proserpinam, et in Naxo quidem ad deductam et relictam Ariadnam, pertinebant, ita ut dici possit, historicas fabulas causam festorum lugubrium e dolore et tristitia Ariadnae petiisse. Hunc consensum festorum fortuitum esse non crediderim. — Magis etiam perspicuum est in solemnibus Ariadnae festivitate, hilaritate et ludis jocosis celebratis Atheniensium *Anthesteria* agnoscere, quae Dionysum Nysaeum et *ἑρὸν γάμον*, in quo Proserpina Baccho sacro ritu conjungebatur, spectabant. Hic tamen *ἑρὸς γάμος*, qui quartus in mythologia graeca fuit, potissimum in Naxo agebatur, et a Theseo, ut fabula fert, Athenas traductus Anthesteriisque immixtus est. In his solemnibus hilari alacritate Bacchum *Euanthen*¹⁾ acclamabant mulieres insanientes, succingebantque cum pulchris coronis, quia tempore verno hoc festum celebrabatur. Sed quomodo posthac sermo vulgaris omnia confuderit, intelligimus etiam ex eo quod ex illo cognomine Bacchi, in solemnibus Anthesteriis ei imposito, *Euanthes* filius quidam Ariadnae et Dionysi factus est, quum illa festa simul hujus dei nuptias cum Proserpina-Ariadna initas amplecterentur.

1) Athen. 11, 465.

Negatum tamen minime volo, Athenienses haec sacra facilius et ita fortasse maturius etiam e Boeotia accipere potuisse, sed ipsi annectebant ea ad res Naxias et exinde restituebant; quod tamen si nihil aliud, certe jam remotissimis temporibus haec sacra in insula effloruisse testatur.

Oschophoriorum festum verisimile nuptias Dionysi et Ariadnae non attinebat. Multo magis putandum est, in hoc festo, quodsi cum aliis conjungere velimus, deum *natum* cogitatum esse, quum jam in Trietericis tanquam *infantem λιχνίτην* appareret, et haec sacra auctore Plutarcho initio auctumni celebrarentur. Proprium Naxiacum hoc festum Theseus Athenas deduxisse, et primus solemnium pompam in reditu inceptisse dicitur. Plutarchus *Oschophoria* Dionyso et Ariadnae his verbis assignat: *γέρονσι δὲ scil. τὰς ὄσχαρς Διονύσῳ καὶ Ἀριάδνῃ χαρίζόμενοι*, quia Theseus ea tempestate redux factus esset, qua fructus auctumni colligerentur. Proclus vero adscribit haec sacra Dionyso et Minervae, quippe quae, ut supra vidimus, in insula Dia Theseo apparuerit eumque, ut rediret, commoverit. Qua ex re fortasse Procli opinio deducta est, aut quia Minerva tanquam dea tutelaris Athenarum ratione quadam ad hoc festum pertineret, aut quia pompa festiva a Dionyso usque ad Minervae *Σκιράδος* fanum ¹⁾ duceretur. Pompam ipsam solemnitatis auspicabantur duo adolescentes ex ordine nobilium et divitum electi, qui *oschophori* nominati et mulierum instar amicti pampinos (*ὄσχαρς*) ²⁾, uvis onustos ferebant. Hos adolescentes insequeretur chorus decantantium carmina, quae ut memoriae prodi-

1) Plut. Thes. 23. Meurs. Gr. fer. s. v. *Oschoph.*

2) Procli chrestom. ap. Hephaest. de metr. p. 388. Gais.

tum reliquit Proclus, ex eo Oschophorica nominabantur. Animi dissoluti erant et phallus circumferebatur in hoc strepenti festo. Tum certamen cursus quoque ab ephelis committebatur, quos omnes et patrimos et matrimos (*ἀμφιθαλείς*) et genere nobiles esse oportebat. Aetate florentes et pampineis coronis instructi erant, quoniam Dionysus et Ariadna, vini deus deaque tanquam hujus festi praesides et fertilitatis largitores fingebantur ¹⁾. Porro certaturi juvenes ex singulis tribubus eligebantur, quique ex iis victor evasisset, e phiala gustabat quae a quintuplici genere ciborum *πενταπλόη*, i. e. quintuplex appellabatur. Continebat autem hic calix vinum, mel, caseum, farinam et olei momentum. Atque ut festi solennitas magis rei a Theseo gestae imaginem referret, ipsos juvenes obibant feminae cibum gestantes et compositas ad animi recreationem fabellas narrabant. In quo matres imitabantur, quae filios ad tributum sorte destinatos, viatico blandisque allocutionibus prosecutae fuerunt. Peculiaris fuit horum sacerorum ritus, ut non praeco sed caduceus coronaretur atque inter libandum acclamaretur *ἐλέλεῦ, ἰοῦ, ἰοῦ*. Erat autem templum illud Minervae Sciradis, quo currebant, non in Sciro, ne quid erres; sed alterum, quod Phaleri, vetustius scilicet et exstructum a vate Sciro, cujusque meminit Pausanias in Atticis, ubi de Phalero agit. Et locus, in quo templum, a ramis illuc gestatis, quos dixi, Oschophorion nominabatur. Ita Hesychium s. v. interpretor.

Porro Theseus redux instituit Pyanepsia, unde tamen sumpserit, non legitur. Dum in illis aliis

1) vide de his rebus: Aristodem. de Pindaro Athen. 11, 495. fin. Schol. Nicand. Alexiph. v. 109. p. 38 et Hesych. s. v. Ὠσχοφ.

festis *Cererem, Proserpinam, Dionysum* recognovimus, cernitur in Pyanepsiis Bacchus conjunctus cum Apolline ¹⁾. Nihil de origine eorum accepimus, sed haud incredibile mihi videtur, Theseum a *Delo* ea transtulisse cogitatum esse.

Attamen soli quoque Ariadnae sacra instituta erant, ut ex Plutarcho compertum habemus. Cujusmodi festa memorat etiam *auctor certaminis Homeri et Hesiodi* ²⁾. Quomodo comparata fuerint illa sacra difficillima est conjectura, sed hoc jam notatione dignum est, quod haec sacra in Boeotia, qua in terra Dionysiaca summe celebrabantur, acta esse videntur.

Quamvis in his de institutis sacris narrationibus historiae quam minimum debetur, tamen intimam in rebus sacris conjunctionem Naxiorum et Atheniensium, inque insula cultum *Cereris, Proserpinae et Dionysi* effloruisse probabile redditur. Haec vero numina arctissimam societatem efficiunt, praecipue tamen cultus Proserpinae a Cereris segregari nequit. Compluribus testimoniis de Cyprio festo Veneris Ariadnae servatis, in hoc quoque credo, vestigia certissima cultus Bacchi et Ariadnae, quamquam cum cultu Asiatico mixti recognoverimus. Sed mons Nysa nunquam ibi fingebatur. Hoc tamen ne ab Atheniensibus quidem sacerdotibus factum est, qui omnibus temporibus Boeotiae, Naxi nec non Euboeae montem Nysam praedicabant.

Res quae ad connubium Dionysi et Ariadnae pertinent.

Restat ut pauca adhuc de conjugio Dionysi et Ariadnae afferamus. Hesiodus poetarum primus no-

1) Müller. Dor. 1, 325.

2) Certamen Homeri et Hesiodi. Goettling. p. 250, 25.

vit connubium Dionysi et Ariadnae, quum dicat ¹⁾:

χορσοζόμεης δὲ Διώνυσος ξανθὴν Ἀριάδην
 ζούρην Μίνως θαλερὴν ποιήσασ' ἀχοίτην,
 τὴν δὲ οἱ ἀθάνατον καὶ ἀγήρω θῆξε Κρονίων.

Quibus ex verbis sequeretur jam poetam Hesiodeum Dionysi conjugem tanquam Minois filiam sibi finxisse, atque haud scio an hic poeta multum ad opinionem quae Cretensis regis filiam in Ariadna intelligeret, divulgandam contulerit. Sed tum etiam virgo a deo Minoe cum dea quadam genita, *dea* remanet, sicut *Semele* ²⁾, Cadmi filia, *Europa* al. quum sub uniuscujusque heroinae forma dea aliqua quaerenda sit. Loci de Dionyso apud Homerum occurrentes nihil valent ad rationem quae inter Dionysum et Ariadnam intercedebat, indicandam, quum omnes in quibus Dionysi nomen continetur, a veteribus Criticis sive per se ipsos, sive quia in suspicione habiti, in disceptationem vocati sint ³⁾. Valent tantum, tanquam posteriores fabulae.

In antro sito sub monte *Drio* ⁴⁾ Dionysus cum Ariadna nuptias celebravit. Priusquam autem Bacchus eam rapuisset, obscura fabula apud *Theolytum* ⁵⁾ Methymnaeum fert, *Glaucum*, daemonem maritimum, ab eodem pampinis esse vinctum, quia hic amore Ariadnae correptus esset. Euanthes vero, epicus poeta, dixit in hymno in *Glaucum*, eum se jam miscuisse Ariadnae a Theseo relictae.

1) Hesiod. theogon. 947.

2) C. O. Müllerus in Gött. gelehrt. Anz. 1825. p. 382.

3) Lobeck Aglaoph. 286.

4) Verisimiliter aliud tantum nomen montis Nysae, quum utrumque nomen in iisdem rebus occurrat. cf. insuper Schol. Apoll. Rh. 4, 1131.

5) apud Athenaeum lib. 7, p. 296.

Nympha *Psalacantha*, quum Dionysus puellam Ariadnam peteret, operam navasse, et ab eodem in herbam nescio quam, nomen *Psalacanthae* ferentem, mirandisque viribus instructam, transformata esse dicitur ¹⁾. Haec herba, ita exhibet Creuzerus ²⁾, una est ex multis herbis, quas Dionysi mythus amat, etiamsi vim aeque atque hedera in illum cultum non exerceat. Huc porro referendus est flos nomine thesei insignitus, quo ad coronam texendam usa est Ariadna. Ex aliorum vero testimonio *Psalacantha* fuisse dicitur herba, in quam Dionysus nympham *Psalacantham Ariadnae aemulam* transformaverit ³⁾.

Quum Ariadna, a Theseo relicta, nullo solatio de perfidia ejus leniri posset, benignam et affabilem Venus erga eam se praebuit, majoremque voluptatem et gloriam connubio Dionysi eam adepturam esse affirmavit Nuptiis factis, et omnibus diis dona conferentibus Bacchus auream coronam, olim ab Vulcano amico suo acceptam, dono dedit, quae postea in Dionysi gratiam a diis sub astris collocata, inque coelo novem vel decem stellas amplexa est. Jupiter Ariadnam ipsam immortalem reddidit. Aliter narrat Eratosthenes ⁴⁾: *Διόνυσος δὲ αὐτὴν (Ariadnam) εἰς τὰ ἄστρα ἔθηκεν ὅτι τοὺς γάμους οἱ θεοὶ ἐν τῇ καλουμένῃ Δία ἐποίησαν, ὃ πρῶτῳ ἢ νύμφῃ ἐστρηφανώσατο παρὰ Ὠρῶν λάβουσα καὶ Ἀφροδίτας. Ἡφαίστου δὲ ἔργον εἶναι φασιν ἐκ χρύσου πύρωδος καὶ λίθων Ἰνδικῶν.* Hoc igitur auctore et Quinto Smyr-

1) Hephaest. p. 322 sq. Hesych. s. v.

2) Creuzer. Symbol. 3, 92.

3) Athen. 684 fin. Ptolom. Hephaest. ap. Phot. et p. 323.

4) Eratosth. cataster. 5.

naeo ¹⁾ Dionysus ipse Ariadnam ad coelum transposuit, et quidem si Propertium sequamur, *lyncibus* eam vehens, pariter ac Dionysus et Proserpina in *curru nuptiali* ²⁾. Item hoc testimonio *Horae* simul cum *Venere* coronam ei imposuerunt, quae decem stellas in circuitu positas, quarum tres splendidae erant in coelo ad caput serpentis prope *Ursas* continebat.

Aliam de sidere Ariadnaeo narrationem tradit ex *Pherecyde Scholiasta* ad *Homerum* l. l., *Dionysum* conjugii auream coronam *Diae* dedisse, quam illa a *Diana* propter pudicitiam deperditam occisa, *Dii* in gratiam *Dionysi* in coelum transposuerint. Apud *Aratum* v. 71. transposuit *Dionysus* ipse coronam, ex aurea hederam perfectam, ut *Schol.* explicat:

αὐτοῦ κάκεινος στέφανον, τὸν ἄγαθον ἐθῆκεν
σῆμ' ἔμεναι, Διόνυσος ἀποιχομένης Ἀριάδνης.

Sed jam ad v. 1000. *Scholiasta* animadvertit: *The-secum* Ariadnam secum *Athenas* duxisse. Διὰ τούτων προτρέπεται τὴν Μήδειαν πλεῖν σὺν αὐτῷ, παραδείγμα φέρων τὸν Ἀριάδνης ἔρωτα, ὅτι συναπῆρε τῷ Θησεῖ εἰς Ἀθήνας.

Haec dedimus tanquam exempla fabularum populi poetarumque. *Lapidibus Indicis* ³⁾ coronam exornatam fuisse, fabula est admodum seris temporibus excogitata, quum post *Alexandrum* *Bacchus* in *Indiam* profectus fingeretur et multae de corona *Ariadnae* fabulae a mythographis fierent. *Priores* scriptores nihil de hac re referunt.

1) Quint. Smyrn. 4, 387.

2) in nummis Cyzicenis. cf. Mitscherl. V. Ill. ad Hor. l. l. et ab eodem citat. Broukh. ad Prop. 3, 15, 8.

3) Eratosth. l. l. Hygin. poet. astron. 2, 3. Boettig. Archaeol.

Cretensem principio fuisse Ariadnam, nego, concedo tamen vestigia cultus Dionysiaci, quae exigua quidem sed non dubia in insula Creta reperiuntur, e Naxo vicina necessitate transmissa esse. Haec vero sententia stabit, Cretensem ortum Dionysi, nuptias ejus et Ariadnae ibi actas, sepulera Aloidarum, ab hominibus postremi temporis inventa esse. Dionysides insulae prope a Creta, et mentio apud Pausaniam ¹⁾: juvenes quosdam templum *Cretensis* Dionysi Argi sacravisse, non magis declarat quam si Himerius ²⁾ sophista tertii saeculi dicit: audio Panem quoque majus et scilicet dulcius carmen pastorale cantasse, Ariadna a Dionyso in antris Creticis electa. Vel Hyginus ³⁾ affert, tamen ex scriptoribus *Creticis*, quo tempore Liber ad Minoem venerit, cogitans Ariadnam comprimere, coronam ei muneri datam esse a deo: qua delectata non recusaverit conditionem stupri. Dicitur enim corona ab Vulcano facta ex auro et Indicis gemmis, quibus Theseus existimatur de tenebris Labyrinthi ad lucem venisse, quod aurum et gemmae in obscuro fulgorem luminis efficiebant. Hoc refert Hyginus. Ergo jam ante Theseum Ariadnam Dionyso Cretae nupsisse ex his fabulis sequetur. Teneo jam, nihil nimirum demonstraverint haec commenta nisi Cretensem dei originem. Sed qui hujusmodi fabulas insuper appetat, ipse legat apud Hyginum et Lactantium ⁴⁾.

Attamen non negandum est Cretensem Dionysi cultum Orgiasticum i. e. Zagrei cultum ibi consti-

1) Pausan. 2, 23, 8.

2) Himerius Or. 1, 15.

3) Hygin. poet. astr. 2, 5. aequae ac Schol. German. 270.

4) Lactant. 1, 10,

tisse, quem nihil est, quod sententiae obstet, ex insula Naxo deductum esse, quum ambae insulae variis temporibus societatem quandam iniissent et jam propter loci naturam commercium haberent. Ita mecum statuas, ni praeferas sententiam Hoeckii, Athenienses hunc cultum in Cretam tulisse. Hic enim cultus non prius quam Dionysus cum Cerere conjunctus esset ibi reperiebatur, et potissimum ea significatione mystica, qua a Titanis laceratus ac filius Jovis et Proserpinae intelligebatur. Huncce cultum veri simile est, propterea probatum esse a Cretensibus quod apud illos Orgiasticus Jovis cultus prae ceteris maximopere agebatur.

Haec sunt quae de cultu Bacchico in insula Naxo celebrato apud scriptores dispersa invenire potuimus. Jure credimus, exigua aliorum cultuum vestigia, quae in omnibus terris reperiebantur, omissa esse. Ita vero factum est ut per omnes mythos indolem Dionysiacam persequi possemus ac demonstrare, quae effecerint ut cultus Dionysi integer et justus in hac insula excoleretur. Quae omnibus ubertatis et luxuriae copiis ita instructa erat ut ab ipsa natura sede dei primaria ac deliciae electa esse videretur. Adeo numen cultus Bacchici gravissimum, ejus ut nihil desideraretur, Proserpinam, *Κόρη* Graecorum, reperimus in sacra insula. Hanc enim intelligere debemus Ariadnam Dionyso nuptam. Quae dea prorsus separanda est a dea Cretensi, quacum ne nomine quidem permutanda. — Ita stat nostra sententia, non temere lata, sed argumentis utrimque perpensis.

